BREVIS INFORMATIO & RESPONSIO SOLIDA, AD PRAECIPUA CAPITA, LOCA, ET PUNCTA...

Ludwig Camerarius, Luitco Thomsonius



BREVIS
INFORMATIO
& Responsio solida,

Ad pracipua capita, loca, & puncta Secreta Cancellaria Bavarico Anhaltina:

Una cum additamentis quibusdam.

Accessit praterea

LUITCONIS THOMSONII CARLOMONTII

DISSERTATIO
DE

Causis nuper Motæ Bohemiæ.





Anno cIↄ Iↄ c xxiv.

Omnibus veritatem amantibus.



IENNIVM jam excurrit, cum liber quidam Monacho-Bavaricus, cui titulum, *Secreta Principis Anhaltini Cancellaria*, præfixerunt, in lucem prodijt; cujus prima exempla in congregatorum tunc Heilbronnæ Vnitorum Principum ac statuum sub finem Ianuarij anni 1621 devenere manus. Libri illius vel Centonis potius consarcinatorem sive compilatorem Dn. D. W. I. inter illos, qui Bavaro à consilijs intimis, primarium (cui D. Leickard fidelem navavit operam) perhibent, sic testante τ̃ ἀξιοπίστων relatione, ac ipsomet sese stilo prodente. Quod ipsum tamen, ac illud, itidem suo relinquitur loco, quod certo tam dictis, quam scriptis assertum, ipsum serenissimum Bavariæ Ducem, ope & opera propria epistolas varias atque acta selegisse, inque ordinem redegisse, quo opere maturato quædam omnino exemplaria durante adhuc Vnionis conventu Heilbronnam, uti factum, curarentur: eo omnia fine, quod cuilibet colligere facile est, ut Vniti turbarentur, timidi ac perplexi redderentur. Nec, Monachij Bavaricam farraginem lingua Germanica prodijsse, autorum cupiditati satis fuit, illud insuper specimen in Italicum Idioma transferendum, sub titulo, *Pensieri de Protestanti, Cogitationes Protestantium*, imprimendum, ac Romam transmittendum curarunt, ubi nunc publice in bibliopolijs prostat. Iam vero quod sive Vniti ipsi & Status cæteri, sive etiam eorundem præcipui consiliarij, officiarij, & administri, ad librum hunc Bavaricum, qui abditorum, ac quæ Germanos dedecent, consiliorum dicam illis impingit,

adserendæ existimationis ac boni nominis ergo publice edito Apologetico, scripto non respondentint (exceptis, quæ nuperrime in prodromo & Cancellaria Hispanica, breviter illa quidem, & incidenter sed nervose admodum & adposite: postea autem in Mysterio Iniquitatis dudu-ctus prolata) id scilicet ab illis, quibus nec occasionum nec typographiarum defuit commoditas, non sine graviori causa intermissum est.

Palatini mehercle, ut nemo non novit, per hostilem illam & violentam superioris & inferioris Palatinatus occupationem adeo fuere dissipati, ut illis, qui Heidelberga exierunt, nulla omnino typographia, quæ necessariam infimulatorum detorsionem luci daret, patuerit, cuncta vero, quæ ex Heidelberga vel Heidelbergam mittebantur, interceptioni hostili fuerint obnoxia. Cum autem metuendum omnino sit, ne porro istiusmodi silentium pro tacita confessione aut convictione communiter accipiatur: atque ex eo Romanensi factioni insigne emolumentum, Unitis autem, quin immo toti caussæ communi Euangelicæ irreparabile præjudicium creetur; necessitas ipsa inevitabilis tandem extorquere visa est, ut præsens, succinctum, suisque nitens fundamentis, ad præcipua capita, loca, & puncta dictæ Cancellariæ Bavaricæ, apologeticum scriptum datetur in publicum; magis etiam ac propius ad speciem & individua ut accederetur; atque illud speciminis tantum & Lydij lapidis instar ut demonstraretur, Bavaricum istum librum super solidas demonstrationes clarasq; probationes (quod in præfatione autor lectoribus persuadere conatur) minime fundatum, sed in eo nihil nisi fallacias, paralogismos, detorsiones, mutilatas allegationes ubique obvias, ac ut paucis verbis omnia complectamur, pragmaticis dolis & politico astu fucum lectoribus factum esse. Hoc tamen protestamur ac profitemur,

mur, nos moderationem ac modestiam sectantes, omnemque conviciorum abstinentiam, omnibus & singulis pro statu & dignitate convenientem respectum exhibituros, ea spe freti; fore, ut vicissim cuncta quæ à nobis tali ratione ac modo ad vindicandam avitam libertatem Germanicam, ad sartam rectamque conservandam Religionem Euangelicam, declarandam denique virorum honestissimorum innocentiam deducentur, à nemine in deteriorem partem, aut in cujusque detrimentum periculumve accipiantur, aut detorqueantur.

His præmissis benevolum lectorem monitum volumus, totam hanc Informationem (in qua Monacho-Bavaricæ Cancellariæ editionis tertiæ & correctioris, uti appellatur, allegata sequimur) in duas partes divisam, in quarum priori sequentia capita examinantur ac refutantur.

SERIES
CAPITVM.

Caput I.

Vnionem ad propriam Protestantium unitorum statuum defensionem, & contra Catholicorum machinationes minime, sed in res veritate ad oppressionem & exstirpationem Romana-Catholicorum in Imperio collimasse.

Cap. II.

Vnitorum protestantium scopum contra Majestatem Cæsaream, S. R. I. caput, directum & usurpatum fuisse.

Cap. III.

Vnionis status contra Imperium Romanum, ejusque constitutiones sacratissimas varia molitos fuisse.

Cap. IV.

Vnitos, Palatinum præsertim Electorem, & alia capita, Bohemicis turbis in rem suam abusos, nullius unquam pacis sanciendæ cupidos, id summopere potius timuisse, ne turbæ Bohemicæ componerentur.

Cap. V.

Vnitos, ac capita in primis, omnis inquetudinis, seditionis & motus

motus in Vngaria, Bohemia, Incorporatis & Austriacis provinciys autores, motores ac impulsores fuisse.

CAP. VI.

Electorem Palatinum acceptatione nova Electionis Bohemicæ, reali regij soly Pragensis occupatione, admissa etiam acceptaque coronatione ac generali Hamagio, crimen læsæ Majestatis commisisse, omnem malorum in regno illo, vicinis regionibus, & Imperio Romano lernam accersivisse.

CAP. VII.

Vnitos bellum, quod dudum antea praepararint in Catholicos, in conventu Norico Anno 1619. decrevisse.

CAP. VIII.

Electorem Palatinum cum Bohemis & confœderotis alys, mediante Principe Transsylvaniæ, Turcarum Imperatori tributarios sese reddere, eundemque in Romanum Imperium attrahere voluisse.

CAP. IX.

Solidè demonstratum esse, in Bohemia non Religionis sed Regionis negatium actum fuisse.

CAP. X.

Non esse, quod Evangelici in Imperio Romano exterum, nescio quem, dominatum, vim aliquam Papæ, Hispani aut Roma-

na-Ca-

no-Catholicorum timeant: sed eorundem sinceratationibus, declarationibus, promissionibus de Sacro-profana pace sarto tecto conservando, securam fidem habere posse, & debere.

Cap. XI.

Cito admodum Vnionis ærarium decrevisse, eiusque res clam admodum vacillasse, sed ob Vnitis, eas externo jactatione in immensum elatas fuisse.

Cap. XII.

Enarratio rationum ac caussarum impellentium, quibus Vnitorum quisque suo loco, ut Vnioni se adsociaret, motus fuerit.

Cap. XIII.

Spiritum Calvinianum consortis impatientem, ubivis rerum potiri & dominari velle, omnis diffidentiæ, turbæ & seditionis motorem ac impulsorem esse.

FINIS.

BREVIS

BREVIS ET SOLIDA

INFORMATIO, ET AD PRÆCIPVA CAPITA, PVNCTA ET Loca Cancellariæ Bavaro-Anhaltinæ Secretissimæ Responsio.

CAPVT I.

Vnionem ad propriam Protestantium unitorum statuum defensionem, & contra Catholicorum machinationes minime, sed in rei veritate ad oppressionem & exstirpationem Romano-Catholicorum in Imperio collimasse.

INFORMATIO ET RESPONSIO.



COMPILATOR Cancellariæ huius Bavarico-Anhaltinæ cum primis illud (pag. 21.) jactare videtur, Vnitos ad hodiernum usque diem nulla producere potuisse specialia, quis videlicet, & ubi contra Augustanæ confessionis ordines à Pontificijs ulla consilia fuerint inita, sed in illis specialibus adhærescere.

Ad quæ istud responsi ferat; Quis in Protestantes omnes generalis processus decretus, quove pacto in omnes nullo discrimine agi velint, jam dudum ex libro Pauli Windeckij satis superque innotuisse. At Schoppius quid Consiliarius Hispanico Austriacus in Classico Belli Sacri cap. 13. ipsi Cæsari instillat' ut Principes illos, qui in Monasteria invaserunt, quique tam Cæsareæ Majestati, quàm Sanctæ Ecclesiæ obedientiam denegant, pulchra Ottonis primi æmulatione cruci suffigendos mandet. Nunc, quod de omnibus in genere dicitur, hoc

unumquemque in specie concernit. Insuper illud in vulgus notum est, quod in Imperialibus Ratisbonæ Anno 1594. celebratis, alijsque illa subsequutis comitijs, Protestantibus Evangelicis statibus & absentium delegatis, tanquam in os publice exspuendum esset, à Iesuitis & Franciscanis allatratum sit, Cæsaream Majestatem protestantibus in Imperio hærencis sine conscientiæ periculo indulgere diutius non posse, nunc tandem horam illam venisse, qua in eos ensis stringendus, occasiones & media in promtu & parato esse, Protestantes sic inter se mutuis discordijs divulsos, ut partim ut incauti ac securi, partim ut imbecilli ac imparati opprimi facile & ad obedientiam Sedi Romanensi præstandam redigi possint. Id quod paulo post sequuta miseræ civitatis Donawerdæ comprobavit exsequutio: quæ reapse, non illam generalem esse, ut compilatori nostro videtur, insimulationem, sed illa sic se perculsam suo sentit damno, ut cives miserrimi ex civibus Imperij Romani liberis in servitutem animæ pariter & corporis præcipitati profundissimam, humanum emergendi auxilium frustra vel sperent vel desiderent. Adhæc tenaci memoria hæret, quæ eodem tempore nomine Rodolphi Imperatoris cum Duce Bavariæ de generali ac communi in Protestantes exsequutione armata, egerit Zollerensis comes, Consilij Cæsarei aulici Præses, quodque idem ille Præses duas diversas tunc effinxerit relationes, in quarum altera (quæ, ut glaucoma Protestantium oculis obduceretur, studio spargebatur) Cæsari Rudolpho indicat, Nihil se quantumvis omni diligentia adhibita à Serenissimo Bavaro obtinuisse, cum is commissionibus istiusmodi ac exsequutionibus onerari se nullo modo velit. In altera vero, eaque secretiori relatione declarat, eum esse Ducis Bavariæ animum, sic ubi Majestas Cæsarea necessaria exsequutionis media commonstratura ac subministratura, de suo etiam ac Catholicorum certo subsidio abunde prospectura sit, eo demum casu generalis contra Protestantes exsequutionis onus & munus se suscepturum esse. Vnde extra omnem dubitationem positum est, nisi Vnionis fœdus tum initum, eoque machinationis istius de generali exsequutione contra Protestantes susceptæ progressus remoratus fuisset, quod vicinos Status, ac civitates, præsertim imbecilliores, idem quod Donawerdam mansisset periculum, immo etiam potentiores, Dux videlicet Wirtenbergicus, Civitates, Vlma, Noriberga & cæteræ, quiete & securitate excidissent sua.

Quod

Quod Compilator pag. 22. de Ottone Packio specimé narrat, id opinione ejus ac prætensione concludit secius. Expresse siquidem Sleidanus prodit, quamvis Georgius Dux Saxoniæ alijque exsequutionem conjurationis istius meditati fuerint, nihilo tamen minus opinionem & famam invaluisse, non fuisse illam de nihilo. Adhæc, circumstantiæ temporis, loci, personarum, ac particularia alia, ab Ottone Packio usque adeo fuerunt descripta, ut quivis rerum & actionum publicarum illius temporis peritus facile intelligat, non ex suo cerebro Packium talia produxisse. Quæ præterea de Cardinale Truchsesio, de urbe Norberga contra Marchionem Albertum, deque exsequutione Gothica adfert, cum hujus neque loci, qui nobis heic in controversia, neque instituti sint, merito relinquuntur.

Porro Compilator pag. 23. & seq. Vnitos intentione sua unice contra Catholicos collimasse, hinc nititur convincere, quod quam primum A. C. M DC IIX. Unio instituta fuisset, XXX mensium contributionem, ac postea ad annum usque M DC XVII. magnam nouariam pecuniæ summam contulerint; quod Anno 1618. capta Vnionis motus Bohemicos suæ intentioni inservientes arripuerint, ac antequam ullus etiam Catholicus Status, immo ipse Romanorum Imperator laudatissimæ memoriæ ad propriam sui defensionem unicum etiam virum conscripsisset, apud confederatis bene notum magnum principem summo studio institerint, ut aliquot militum, numero X V M. ipsis mitterentur, &c.

Primum, quantum ad collatas successu temporis Vnitorum contributiones attinet, non injuria miretur quispiam, tam perfrictæ frontis Compilatorem esse, ut odiose talia Vnitis exprobrare ausit, cum nec ipsum nec quenquam in Imperio fugiat, etiam à Romano-Catholica Ligæ (juxta tenorem tabularum fœdaris) peculiares ac certas civitates adservandæ pecuniæ destinatas, subindeque insignes admodum à Ligistis pecuniæ summas Coloniæ, alijsque diversis in locis depositas fuisse. Quemadmodum in ipso eorum de anno 1610 fœderis recessu invenias, magnas dudum ante conventum illum contributiones à Ligistis congestas. quo nomine Papa ac Hispaniarum Rex (utpote Ligæ membra) ad persolvendam quisque portionem exstantem solicitati. In quo eodem conventu legatio Episcopi Spirensis & Frobenij Comitis ab Helfenstein ad Galliæ Regem ducemque Lotha-

ringiæ, ut hos ad S. Ligæ fœdus invitarent; ac ad roborandum nervum bellicum, Clericorum decimatio communibus sollemniter suffragijs est decreta. Similiter & illud usque adeo perspectum est, ut hominum nemo inficias ire queat, toties jam citatam illam Ligam Romano Catholicam non ita pridem insigni ultra montes suscepta legatione, à Papa, Principibus & Repub. Italiæ subsidia pecuniaria & auxilia flagitasse. Vnde candidus lector omni affectu seposito judicet, qua fide & fronte Vnitis collatas contributiones exprobret aut vitio vertat autor Cancellariæ Bavaricæ: cum hoc ipso contra se argumenta suppeditet, ac omnis illa insimulatio jure potiori inque terminis longe fortioribus in Ligam Romanensem possit retorqueri.

Secundo ut ad tractatum illum ac negotia cum Principe extero acta veniamus, istius nomen Compilator studioso silentio ut plurimum celat. Nunc parum memor de Sabaudiæ Duce interpretatur. Cæterum de hoc liquidum satis est, principem eum esse Imperij, originemque suam ex stemmate Saxonico Electorali deducere. Ex Regionum ac populorum multitudine, potentia, redituum ubertate, divitijs simul pollet. Majores ejusdem, ipse ac filius natu major præcipuis orbis Christiani Regibus Galliæ, Hispaniæ & Portugalliæ affinitate conjuncti sunt. Qua etiam pollet dignitatis prærogativa præ omnibus Italiæ principibus, ipsum magnum Hetruriæ Ducem præcedit. Nam Pius V, in bulla, qua Cosmo Mediceo sublimitas magni Ducis collata, Duci Sabaudiæ expresse hanc prærogativam reservavit. Hic insuper titulum & dignitatem Vicariatus Imperij obtinet perpetuum. Hic denique Dux, tunc cum in Gallijs Liga exspirasset, Henricum IV. ac Regem item Magnæ Britanniæ singularis amicitiæ nexu, quam Correspondentiam hodie vulgus nominat, tam arcte sibi devinxit, ut nec in hodiernum usque diem rumpi potuerit. Vnde porrenti non est loco, quod Elector Palatinus, & cæteri Vniti, duorum Regum imitati exemplum, eodem se nexu cum Duce illo copularunt. Quæ mutua amicitia tum maxime Sabaudiæ Duci profuit, quum Hispani pace ei renunciata oppugnare eum adgressi fuerunt, maxime tunc, quum Gubernator Mediolanensis Don Pedro de Toledo IV. militum millibus stipatus Hispaniarum Regis nomine in Pedemontium hostilem fecisset impetum. Cum enim Don Pedro ille urbem Vercellas corona aliquamdiu

diu cinctam certis conditionibus cepisset, ac reliquiæ totius Regionis extremo in periculo fluctuarent; Dux Sabaudiæ inter alia Unitorum quoque opem implorans, iisdem rem promoventibus in Germania aliquot millia sub signa Comitis Mansfeldij coëgit, inque Pedemontanam deduxit. Pace & ἀμνηστίᾳ jam sancita, ac restitutione Vrbis Vercellarum confirmata, nihilosecius Sabaudiæ Dux sub clypeo pacem tutissime retineri ratus, armis (sic enim in articulis pacis specialiter sibi reservarat) nudare se noluit: sed Comiti potius Mansfeldico de necessaria pecunia in Germania prospexit, qua melioris notæ officiarios, ductoresque militum in omnem eventum sub stipendijs suis in promtu haberet. Eodem temporis spatio accidit Pragæ, ut ex Patientia sæpius læsa furor exardesceret, ac Bohemicos status metus haut temerarius incesseret, ne clandestinis adversariorum ac perfidorum Sympatriotarum molitionibus, de Directorum ac Evangelicorum vita, Regno, Libertate, litteris Majestatis, alijsque privilegijs longe carissimis, periclitarentur, quibos se obligatos agnoscentes Bohemi, ad conservationem vitæ, Libertatis, & Religionis, arma defensiva parantes, oblationem Comitis Mansfeldij (cui quis id per Ducem, cujus merebatur stipendia, licuisse neget?) ambabus, quod ajunt, manibus ac gratijs arctis arripuerunt, ac non Comitis illius accessione tribus aut quatuor millibus sese auctos viderunt. Tantam igitur Ducis Sabaudiæ, Romano-Catholici Principis, propter caussas politicas, auxiliandi promptitudinem Elector Palatinus statusque Evangelici alij prohibere debuerunt? Quin potius illo tempore negotium Bohemicum, qua in Imperio qua extra Imperium, pro communi Evangelicorum caussa habitum fuit. Nec inde tamen sequitur, quicquam in Cæsaream tunc Majestatem dolo malo tentatum fuisse. Id quod in Centone illo Bavarico Lectoribus tanquam fidei articulus obtruditur. Quippe noverunt omnes, & veritati in fundamento consonum est, nullum initio Bohemis fuisse animum quidquam adversus Regem suum Matthiam attentandi, sed tantum cum Regni officiarijs, ut cum apertis & acerbissimis inimicis suis, rem sibi esse existimasse; prout ipsi nullam unquam à Cæsarea Majestate defectionem cogitarunt, sed obedientissimos potius subditos sese dictis & scriptis publice (quod nec ipse Compilator [pag. 32. in secundo membro princip.] diffitetur, & in Apologetico scripto Austriacorum supra Anasum expressum est) professi, clementissimam gravaminum

 aver-

averruncationem & contra adversarios suos justitiæ administrationem votis omnibus ac precibus humilimis expetiverunt. Ac sic quidem heic prudentiores peritioresque multi judicant, ipsum Matthiam Cæsarem, si neutrius partis fautor judicem se in causa Bohemorum contra adversarios declarasset, ad cognitionem caussæ se obtulisset, in partes officiariorum provincialium non recessisset, omnem motum facile ab illo sopiri, regnum à turbis ulterioribus vindicari, pristinæ quieti ac tranquillitati reddi potuisse. Verum enimvero cum Ordines Bohemici, Dominum Kain aliosque in Bohemiam exploratum tantum, mutuamque in regno diffidentiam conciliatum ablegatos; Comitem vero Bucquojum, qui undique corrasum, & partim à confinibus Vngariæ avocatum militem sine mora in Bohemiam deduceret, è Belgio subito accersitum intelligerent; atque ex eo plurimos Aulæ Cæsareæ asseclas in sinum gaudere, à Bohemis tandem ipsis ansam Austriacis datam regnum armata manu sub jugum reducendi, Ordinesque omnibus juribus, Privilegijs, simul etiam non ita pridem impertatis Majestatis litteris, jure belli, uti jactarunt, privandi; Comitem etiam Bucquojum suscipiendæ contra Bohemos expeditioni (quemadmodum Albanus Dux ante L. olim annos ex Hispania cum simili instructione contra Belgas venerat) advocatum conspicerent, certe haut leviter Bohemorum animi mutati ac abalienati fuerunt. Et nihilominus tamen semper se fideles Matthiæ Cæsaris subditos mansuros esse protestati sunt, adeo inculpatæ tutelæ limites nunquam egressi, ut primum etiam ictum (cum sane præventione uti, & suum militem extra regnum educere potuissent) in Bohemico solo expectaverint. Ast cum in vivis esse Matthias Cæsar desijsset, inde diffidentia animorumque exulceratio quotidianum incrementum cepisset, denique in conventu illo, qui eligendo Cæsari Francofurti habebatur, Statuum Bohemicorum legatis, qui in vicinia hærebant, omnis illis præclusa & denegata audientia, re infecta domum redeundum fuisset, cum tamē viatis extremis media via ut longe tutior merito eligi debuisset: (Quod, si vel Daniel vel Wolfgangus, Moguntini Electores, clavum Francofurti tenuissent, procul dubio fecissent) tum sane ista in conspectu totius Imperij & Europæ illata publica contumelia & injuria (sic enim illi accipiebant) non directorum solummodo ac primorum populi, sed omnium etiam regnicolarum & nationis universæ spiculæ instar acutissimæ penetravit cor-

vit corda, tantoque cum dolore pectoribus ac ossibus inhæsit, ut universales animorum illæ, quas cernentes horremus, abalienationes & periculosissimæ mutationes insecutæ fuerint. Ex quibus omnibus perspicuum est, ex eo, quod periclitantibus Bohemis Mansfeldius præsto fuit, inepte concludi, quidquam in Cæsarem Matthiam molitos Bohemos esse; quem, quamdiu vixit, ut Dominum ac Regem venerati sunt. Nunc de XV. CIↃ. militum exercitu quod dicitur, hoc sane conjectura adsequi licet, istius consilij fuisse originem, quod Pontificij validissima apud Papam, Hispanum, Gallum, Polonum, auxilia solicitanret, Unitis metum incussèrunt, ne succumbentibus Bohemis, calore (ut nunc eventus comprobat) victoriæ ad vicinos Protestantes transiret incendium; atque hac de caussa apud sæpius dictum Ducem mentionem factam de XV M. illis militibus, & hunc quidem ab ejusmodi succursu non alienum fuisse. Quod in Principe illo magnanimo, & ad altissima adspirante mirum haut est; qui etiam multis ante, quam Unio constitueretur, annis, Evangelici cujusdam Principis, etiam num viventis, in privatis negotijs, legato per hominum suorum fidissimos clam innuit, si quando vacatione Imperij & nova contingente electione ipse inter alias idoneas personas numero eligendorum dignus accenseretur, pro summo se id cum sibi, tum familiæ suæ honore & felicitate reputaturum esse. Ipsi porro Austriaci ac Hispani omnium optime norunt, quas caussas ipsi dederint, ut minus æquo animo in ipsos hactenus fuerit. Sane neminem clam est, à Cæsarianis illum, horumque processibus aulicis in controversia quondam cum Duce Mantuæ non leviter offensum, ut scriptum etiam Latinum, quo processuum illorum iniquitas deducitur, publice edendum, divulgandumque curaverit. Aucta quoque ex eo offensio, quod spreta domo Sabaudica, cum adversarij ejus, Ducis nempe Mantuani, Principis dignitate & Potentia longe inferioris, sorore prælatum est matrimonium. Contra Hispanos vero vetus illud, & à Patre hæreditatum adhuc odium viget, quod sententia sua Carolus V. Friderico Mantuæ Duci Marchionatum Montesferratensem contra omne jus fasque adjudicavit, eo solum fine, ne Dux Mantuanus contraria irritatus sententia à Carolo V. ad Franciscum Galliarum Regem transiret. Adhæc illud quoque firmandæ inter Sabaudum & Hispanum amicitiæ obstaculum est, quod ab his pacta ejus dotalia, clausula præsertim Mediolanen-

lanensem Ducatum concernens, in controversiam vocatur. Quod animum ejus tantopere pupugit, ut cum defuncto olim Galliarum Rege arctissimum fœdus contraxerit, ac mudeant Galliarum Regis sororem primogenito suo uxorem impetrarit: quo dubio procul de fulcro aliquo validiori, cui in tuendis pactis dotalibus inniteretur, certus esset. Particularia hæcce ideo potissimum produximus, ut Lector vel manu tangat, cui innixus fundamento Compilator solos Voitos, Capita præsertim & Directores eorundemque consiliarios, societatæ omnis discordiæ in orbe Christiano ac tumultus insimulet, reliquos omnes acquievisse, nihil de quo gravati quererentur, habuisse adserat. Tandem Italicum Principem externa ac peregrina adfectare imperia, nihil novi est. Sic enim postremo mortuos binos Ferrariæ & Parmæ Duces Poloniæ regnum appetivisse, ac in Italia Bohemicum & Vngaricum regna non minus, quam Polonicum, pro electivis haberi certum est. Occupatio autem locorum quorundam in transitu per Alsatiam, de qua agitatum fuisse dicunt, etiam si res ita haberet, tanti tamen momenti non esset, ut adeo insolens alicui videri queat. Dux siquidem ille, utpote belli peritior, ita à proprio territorio discedere noluisset, nisi quo recederet, habuisset, ut in omnem eventum per occupata loca in proprium securus redire posset. Certe, Henricus II. Galliæ Rex in fœdere, quod cum Saxoniæ Electore Mauritio pepigit, ad securum ex Germania reditum occupationem aliquot urbium, inprimis Camerici, Metensis ac Tulli, expresse pactus fuit. Quod vero hanc admiscet compilator [pag. 27. 28. 29.] calumniam, ac si capita & Directores cum confœderatis suis socijs sub pileolo, uti Germanico dicitur proverbio, lusitarint, ac quamplurima eosdem celarint, sic respondetur, ipsas Unionis tabulas Electori Palatino seu Directori, liberam omnino facultatem permisisse, ea, quæ communem Unionis caussam concernerent, audiendi, de ijsdem agendi, conveniente postea tempore, ac pro re nata sive in Unionis conventu, sive per legatos aut litteras statibus Unitis referendi. Pariter extra omne dubium est, Electorem Moguntinum ac Bavariæ Ducem, Catholicæ Ligæ antesignanos ac Directores, non minus sibi potestatis vindicasse, ac in similibus casibus pro sua discretione oblata negotia direxisse & egisse, nec obligatos fuisse, ut sine differentia omnibus æque Ligistis ilico cuncta communicarent. Eadem omnino Directioni Electoris Palatini ratio fuit, cujus ille munus tam fide-

liter

liter ac dextre gessit, ut querelis nullus Unitis eorumque consiliarijs ac ministris locus relinquatur. Adeo ut Compilatorem hanc absurdam suam insimulationem suppressisse, nec hisce ineptijs Electorem Palatinum gravasse satius fuisset.

CAP. II.

Unitorum protestantium scopum contra Majestatem Cæsaream, S. R. I. caput, directum & usurpatum fuisse.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

FOedus Unionis contra Romanam Cæsaream que Majestatem ictum non est, sed Majestas Cæsarea in Unione expresse excepta, ad cujus rei probationem ipsas tabulas fœderis Unitorum publicas, quas inter cætera acta Monachij habent, producimus. Sed putat Compilator calumniæ suæ colorem obduxisse, ex tractatu cum extero illo Principe inito, in quo caussa etiam Bohemica comprehensa sit, pag. 32. Ex eo etiam, ac si Palatinus Elector duo illa millia Mansfeldicorum militum, contra Cæsarem Matthiam ilico in Bohemiam miserit, pag. 33 & seq. Verum sciendum nobis est, cuncta, quæ de Corona Bohemica in medium adducta fuerunt, in casum tantum obitus Cæsaris, tum admodum imbecillis, & paullo post Mense Martio sequentis anni mortui, adducta fuisse, ut inferius ostendemus pluribus. Non igitur bona Consequentia est, ex qua propter coronam Bohemicam perniciosas in ipsum Cæsarem Matthiam machinationes agitatas fuisse concluditur. Quæ vero Mansfeldicarum copiarum in Bohemiam profectionum citatio, jam in primo capite satis superque est explicatum. Porro ad ulteriorem confirmationem prætextus sui Compilator hic pag 34 epistolam citat Volradi à Plessen, Electoris Palatini intimi consiliarij, scriptam 11. Sept. 1618. In qua statim ab initio ille hæc commemoret: *Bohemiæ Ordd. Confœderatorum Protestantium in Germania, Unitarumq; Provinciarum Belgicarum prætensiones uno fundamento niti &c.* atque exinde sequi adfirmat, Unionem tam contra legitimum electum Rom. Imp. suum, quàm contra omnes S. R. Imperij fideles obsequentesque Ordines initam. Verum prolixæ huius, involutæ, ac à versiculo:

B . *Ist dann*

Ist dann der Staden &c. pag. 35. adversiculum usque, *vff jetzige &c.* extensæ consequentiæ, nullæ ad probandum vires sunt, cum & præmissæ & antecedentia mutilata, corrupta, falsa sint. Nam primo negatur, eo tempore, quo epistola illa scripta fuit, Bohemos contra Regem suum insurrexisse, cum capite primo abunde deductum sit, Bohemos omnes à Cæsare perduellionis crimen perpetuis à se protestationibus amolitos fuisse. Similiter negatur, Vnitos cum Bohemis certa ad ferendum fœdus aut correspondentiam pacta conventa fecisse. Præterea longe absurdissimum est, inter Vnitos ac Bohemicos unum idemque caussæ fundamentum esse in specie contra domum Austriacam. Quid enim Vnitis cum Domo Austriaca, aut huic cum Vnione est negotij? aut quæ illa Iurisdictio vel Superioritas est, quam in Vnionem Domus Austriaca prætendere possit? Vniti non alium, quam Cæsarem superiorem agnoscunt. Ex hac vero argumentatione, non tantum Austriacis bonam vicinitatem, sed insuper aliquam speciem subjectionis & vasallagij debere Vnitos, eliceretur. Quod cum dictu absurdum sit, nullus opinor unquam ministrorum Austriacorum adfirmarit. Quod si Compilator verba D. Messeni, quo sensu scripta, eodem accepisset, ac candide interpretatus fuisset, facile colligere debuisset, verba illa: *Bohemicorum Ordinum, Protestantium Vnitorum in Germania, & Confœderatorum Belgij causam eodem fundamento niti*, non aliam genuinam significationem habere, quam horum omnium caussam communem & fundamenta communia esse. Caussa communis est Religionis & Libertatis conservatio. avitæ immunitates & Privilegia, communia fundamenta. Belgæ sane sua ab Albano ac Hispanis armis hactenus strenue admodum vindicarunt. Vniti habent Constitutiones Pacis religiosæ & profanæ, & alia privilegia antiqua plurima. Hæc pro viribus illos tueri, quis vitio verterit? Quam quæso preciosas Majestatis litteras (cæteras enim avitas immunitates nunc prætereo) à Rege suo Rodolpho Cæsare impetrarunt Bohemi? Igitur quicunque ex Protestantibus invidisset Bohemis, si tam carum pignus Cæsarei diplomatis sartum tectumque, atque ita sub ejus umbra semet ipsos incolumes servassent, is mehercle Christum labijs tantum profiteatur, atheus ac Epicureus in corde sit oportet. Quæ ergo causa Compilatorem movit, quod tam sinister verborum à Messeno bona intentione prolatorum interpres fuit? Pro Conclusione nunc & appendice claudicantem hanc consequentiam pag. 36. attexit, & sic argumentatur:

Messe-

Messenus secreta Vnionis, maxime autem cum Hollandis, Bohemiæ Ordd. Turcico Vasallo, rebellibus Vngaris (apud quos legationis munus obijt) Duce Bullionæo in Occidentali Francia, & cum Corona Anglicana susceptas tractationes exacte perspectas cognitasque habet. Ergo Vnio contra Cæsaream Majestatem & Domum Austriacam facta est &c. Elegans profecto argumentatio, atque illi, quam in scholis pueri rident, quam simillima, Baculus stat in angulo. Ergo Papa caput est Ecclesiæ. vel si illam malit, D. Wilhelmus Iocher Assessoris in Camera Spirensi aliquot annis functus munere, ejusdem causas ac negotia explorata habet. Ergo electori Palatino offensior est, ejusque pileum Electoralem Heidelberga in ταμιεῖον Monachiense translatum voluit. Quod vero de legatione in Hungariam Compilator attingit, non negatur, Plessenum in Vngariam Comitijs Novisoliensibus mense Iulio anni 1620. habitis, ad Principem Transsylvaniæ, Principem liberum, nec Imperij Romani, nec Domus Austriacæ nec regni Vngariæ subditum, non vero ad Ordines Vngaricos (cum quibus per illum nihil actum) fuisse ablegatum. Sed eundem in tali legatione quidquam in perniciem Romani Imperij, ac Orbis Christiani molitum, istud vero constantissime negatur, eorumque probationus in Compilatorem publice ac merito rejicitur. Eiusdem farinæ est & illa Compilatoris assertio pag 25. ac si Stephanus Corlarhi Vngaricus Constantinopolim legatus litteras Sultano, quibus propugnaculorum Villeid, Novigrad, Wäctz, Geneæ &c. deditio promissa fuerit, tradiderit. Lector quæso illa verba notet, *ac si tradiderit, ubergeben haben solle*, quæ certi ponunt nihil, multo minus probant. Hoccine est accusatos authenticis scriptis & autographis suis convincere? præsertim in re tanti momenti? Id quod jactabundus Compilator ubique pollicetur. Quin immo verius esse videtur, quod Vngari affirmant, Cæsarem Gallum & N. Starzerum ministros Austriacos Regi Turcarum variorum locorum deditionem ultro obtulisse, si hac ratione arma Turcica in Bohemos ciere & concitare possent. Hoc & illud notetur, Principem Transsylvaniæ in mentione Germanorum litteris Constantinopolitanis facta, non de omnibus in genere Germanis, sed de Austriacis duntaxat loqui, quod ipse Lector ex contextu cujusque loci, antecedentibus & consequentibus facile intelligit. Numquid verò ea illo, quod hic varijsque Cancellariæ in locis Principem Transsylvaniæ Turcici Vasalli titulo gravant, desultoria homi-

num

num ac stili eorundem nunquam sibi constantis abunde deprehenditur levitas? Ecce enim nunc Transsylvanus obediens Imperij Princeps, Statusque Silesiæ audit, ac ob admissam compositionem ad arcem S. Nicolai in Moravia tantum non optimus ab omnibus prædicatur, quin ei, si, quæ sperantur, secuturæ sint Imperij contributiones, contra Turcam suppetiæ, ac aureum omnino vellus ipsi promissum: mox idem dubio procul (quod temporis docebit successus) iterum Apostata, perfidus Turcæ verna ac Vasallus propalabitur. Cum ad Bulionæum Compilator venit, ipse sane in specialibus tanquam in salebra hæret, quod supra Vnitis pag. 21. objicere non erubuit. Verum ad Calendas Græcas, ut puto, probaturus est, cum Bulionæo Duce in Cæsareæ Majestatis aut Imperij perniciem quidquam à Palatino actum esse. Hoc etiam loco Regem M. Britanniæ admiscet, ut illum quoque in suspicionem trahat actorum contra Cæsarem: quod quæso Lector diligenter observet. Simulac enim in Cancellaria illa progredietur ulterius (pag. 305. 306, 307 item 334.) diversis in locis Regis illius insignia reperiet encomia, quod Vnitorum ac Palatini Electoris Consilia in negotio præsertim Bohemico adprobare noluerit. Vnde hanc Lector sibi facile formabit Conclusionem, quod contraria alleganti fides non sit habenda.

Citata paulo ante pag. 36. Compilator eorum quæ contra modernam Cæsaream Majestatem acta, deductionem ab ijs orditur, quæ in conventu Francofurtensi eligendi Romanorum Regis caussa indicto accidisse commemorat. Vbi istud in considerationem merito venit, quod etiamsi autor generalibus hactenus contentus, aliquid specialius rite ostendisset, illa tamen ut machinationes in Cæsarem Romanum traduci non possent, cum Cæsar Ferdinandus nondum tunc temporis coronam Cæsaream adeptus, nec Romani Imperij caput fuerit. Nugæ porro illæ de nummis, nescio quibus argenteis, Norimbergæ cusis, pag. 37. consider. XXVI. in Mysterio Iniquitatis satis superque refutatæ sunt, quo Lector remittitur. Quod vero eadem pagina de actis per legatum externi illius Principis adducit, eorum scilicet ipsi illi Principi, non Vnitis, aut Electori Palatino, reddenda fuerit ratio. Ac quidem illa ipsa à Compilatore pag. 37. & seq. allegata produci, ab Electore Palatino, ac noto illo Principe desperata minime & extrema ejusmodi consilia agitata fuisse, ut pacem ac compositionem coalescere non potuisse judicaverint, quod sane æquitatem & moderatio-

derationem ipsorum liquido demonstrat. Et quale quæso crimen esset, etjam si notus ille Princeps una cum alijs tanquam Mediator & arbiter in illa pacificationis actione nominatus fuisset? Sed qua tandem ratione & Compilator, & qui illum sequuntur, sibi satisfieri patientur? Ex una parte semper ille Vnitos & inprimis Comitem Palatinum, hujusque consiliarios taxat, ac si certo quodam odio à pace abhorruerint: Ex altera parte hoc etiam ipsi displicet, quando arbitri loco ad interpositionem quenquam nominant. Sed habebit scilicet ille, quod agat, si duplicem errorem excusare velit. Quorum alter est, quod contra fidelissimum Statuum Austriacorum Consilium, nulla, motus statim Bohemici initio, provincijs illis concessa, sed ex nescio quibus privatis respectibus, omnino rejecta amica rerum transactio fuerit, sub prætextu, earundem compositionem Collegio Electorali demandatam esse, cum tamen remedium hoc tempestive, & ante, quam morbus invalesceret, vel adplicari, vel vires suas exserere non potuerit: quod ipsa postea comprobavit experientia Alter vero error est, quod Daniæ Regis, Cæsareæ Majestati & Romano Imperio amicissimi cognatique principis interventio ac interpositio, quam ille per legatum Povvischium amore pacis & tranquillitatis publicæ optima forma Viennæ obtulerat, pari modo spreta ac floccihabita fuerit Qui sane contemtus quomodo acceptus sit, & quam benevolentiam genuerit, quivis per se potest colligere. De illis denique quæ principaliter ipsam Electionem Francofurtensem concernunt, quomodo illa peracta, an & à quo impedienda fuerit, alibi tractabitur; nunc ad sequentia pergendum est.

CAP. III.

Vnionis status contra Imperium Romanum, ejusque constitutiones sacratissimas varia molitos fuisse.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

Ipsæ Vnionis Tabulæ in littera & sensu eloquuntur, fœdus illud contra Romanum Imperium, aut novandis in Imperio rebus, nequaquã ictum fuisse. Vt contrarium vero Compilator probet, p. 39. hoc adserit: Vnitos Triumviros, quos ita adpellat, cum noto illo

 Princi-

Principe tractasse, & convenisse, annon tertium quendam illi Vicariatum attribuere possent. Sed respondetur, ejusmodi oblatione opus non fuisse. Iam antea enim Vicarius Imperij, & hunc Vicariatum, antiquo hæreditarioque jure, à majoribus suis consequutus est, ut notorie constat. Et quis vero pro crimine habeat, ex mandato io Heidelbergensi Archivo inquisitum fuisse, num distincti Vicariatus in Imperio, & extra Imperij Limites reperirentur? Sed ignorare non debebat Compilator, non tres duntaxat, sed quatuor Vicariatus in Imperio esse. Sic namque, Maximilianum I. Philippo filio suo, tanquam Principi Belgij, Vicariatum in partibus Frisiæ contulisse, in Thesauro Politico Mediolani Italice impresso in relatione Flandriæ legitur. Sed qua ratione illo tempore hujus vicariatus concessio prodierit, & numquid cum consensu Imperij Statuum impetrata fuerit, quæque adhuc ejus forma sit, hoc vero Compilator quæso nos doceat.

Pagina 41. Compilator ad Bohemicam & Romanam coronam transit, eamque noto illi Principi esse oblatam asserit, de quo agit pluribus in locis, ut cum pag. 68. Principis Anhaltini ad sæpius dictum Principem iter memorat, & pag. 69 memoriale, & pag. 94. & 98. protocollum quoddam variaque inde adducit; quibus, Imperium & Regna pro suo lubitu Unitos transferre [pag. 43. & pag. 50. vers: *Herausz &c.*] varia contra Constitutionum Imperij autoritatem moliri voluisse, si Dis placet, probet. Verum, Lector seposito omni affectu allegatas à Compilatore instructiones illas, memorialia, ac protocolla penitius inspiciat. Sic animadvertet, quatuor potissimum Electori Palatino in tractatione ista cum noto illo Principe fuisse proposita, quæ etiam ad honoris sui conservationem inserta conditione in ipsis pactis expressit. Primum, ut successionem à Romano Imperio hæreditariam amoliretur: pag. 69. in fine. Secundo, Articulum de Corona Romana ad casum tantum vacantis Imperij, & occasionem novæ Electionis restrinxit, d. pag. 69. & pag. 113. ubi verbis formalibus legitur, *Post mortem Matthiæ Cæsaris, &c.* Tertio, quod votum sibi liberum reservarit, usque dum veniret illa occasio, pag. 70. Ac quarto denique juramenti Electoralis rationem accuratam inprimis habuit, dum professus est, se illum duntaxat nominaturum, & electurum, qui Imperio ad conservationem privilegiorum, ejusque majestatis foret utilissimus, d. pag. 70. Exagitent igitur, atque in odium adducant tractatum istum, quantum volent Calumniatores! Certe quatuor

illæ

illæ jam commemoratæ circumstantiæ & reservationes, apud omnes, tam Imperij Status, quam extra Imperium præjudicijs non occupatus, Electorem Palatinum facile excusabunt & defendent. Quid enim est, quod à Compilatore, aut alio quoquam in contrarium adferri, aut inibi rite taxari possit? Annon Articulus primus omni caret controversia? Annon successio hæreditaria Imperio res est abominabilis atque intolerabilis? Annon illa in Capitulatione Cæsarea expresse est prohibita? Certe quotquot Cæsares hodie Romani creantur, instrumento sollemni, manus propriæ subscriptione, & sigillo suo confirmato, atque adeo sanctissimo sacramento totam illam successionem hæreditariam adeo abjurant, ut coram facie Dei ac Imperij, nunquam ac nullo modo ad illam se adspiraturos, promittant. Quis secundo sive Palatino, sive cuivis alij Electori jus suum detraxerit, ut in casum vacantis Imperij de idoneo, & Imperio utilissimo successore, etiam vivo Cæsare, circumspicere, deque eo cum alijs conferre nequeat? Ubi illud in Aurea Bulla aut Constitutionibus Imperij Electoribus interdictum est? Augustus sane Saxoniæ Elector vivo adhuc Cæsare Ferdinando cum Principe quodam Imperij, qui tamen Elector non fuit, super electione successoris communicare ac conferre non dubitavit, prout in Instructione, Doctori Krambio, Professori Lipsiensi, data, hæc Electorum prærogativa, unicum etiam, quod ex avita libertate restet, κειμήλιον indigetatur. Ac mehercle res mali exempli foret, Cæsari & Domus Austriacæ Principibus, quod in sua, quam ad litteras quasdam interceptas divulgavit, apologia Compilator vult, ut suæ Domui coronam Romanam vindicent, liberum permittere; quum tamen Cæsarea Capitulatio diversum omnino statuere videatur: Vice vero versa Electori & columnæ Imperij, à quo officij obligatio pro libertate Imperij & Statuum summam vigilantiam exigit, omnem curam eripere, quo minus in casum vacantis Imperij de successore sollicitus esse, & liberam electionem pretiosissimum pignus conservare, hereditariamque adeo successionem avertuncare possit. Tertius jam & quartus articulus cum Aurea Bulla ac Iuramento Electorali usque adeo congruunt, ut nec Compilator, nec quisquam alius contraria illos ratione jure possit impetere. Atque hic inprimis notandum, Electori Palatino, ut Duci Sabaudiæ hæc aperiret, ab Archiduce Maximiliano ansam & occasionem fuisse suppeditatam, qui in Consilio de successione Imperij Pragæ

16 Fe-

16. Februarij 1616 concepto, Matthiam Cæsarem successionem ab Electoribus catenus urgere suadet, ut salva quidem Electione, Majestati tamen Cæsareæ libera concedatur futuri successoris designatio. Quod quale Principium, quantumve præjudicium sit, colligere haut est difficile. Sic enim primo successioni hæreditariæ via aperitur, cum Cæsaream Majestatem familiæ suæ aliquem esse designaturam ne dubitari quidem possit. Nec secundo libera, sed circumscripta ac limitata esset Electio, si ipsis Electoribus ad Cæsareæ Majestatis factam designationem alligatis, subjectum idoneum aliud nominare non liceret. Insuper ac tertio, juramento hoc Electorali, quo ante Electionem maxime idoneum ac utilissimum se electuros, nec gratiam ullam, nec dona spectaturos, publice jurant, è diametro esset contrarium. Si enim penes Cæsaream Majestatem futura est designatio, Electores, non quem utilissimum ex conscientia sua judicant, sed à Cæsarea Majestate designatum, sive utilem illum, sive inutilem, cum juramenti ac Conscientiæ periculo eligere necessario cogentur. Quapropter omnes & singulos, quotquot aliquo adhuc veritatis & Patriæ libertatis amore tenentur, monitos volumus, ut quo consilia hæcce dirigantur & sint evasura, tandem accurate perpendant, nec Bavarico huic libro seducendos adeo sese præbeant, ut, in gratiam Compilatoris & Complicum, vigilantes libertatis Germanicæ vindices tanquam fraudulentarum noxiarumque machinationum autores damnare atque odisse non desinant.

Porro hoc loco ad majorem supra dictorum perspicuitatem particularia hæc duo celandus Lector non est. Primum illud, quod Albertus Archidux vivo etiamnum Cæsare Rodolpho, ac multis ante obitum ejus annis ad Imperium Romanum adspiravit, ideoque Electoris Ioachimi-Friderici Brandeburgici votum per Comitem Seniorem Petrum Ernestum à Mansfeld emendicare laboravit. Qui Comes continuo Capitaneum Molzerum in Marchiam Brandeburgicam ablegavit, per eundem cum binis Nobilibus, quorum, ubi opus erit, exprimi possunt nomina, egit, ut hoc negotij susciperent: Conditiones etiam ac dicti Archiducis oblationes cum pertinentibus eo scriptis illis tradidit, quas illi suo loco postea retulerunt sollicitaruntque. Cujus rei vivi, *ἀξιόπιστοι*, insignes, ac partim principes viri testes nominari possent, & forte, ubi necessitas exigit, etiam dictorum & scriptorum exempla producere liceret. Alterum particulare est, quod

adeo

adeò Domus Austriacæ Principes pactum inter sese (à papa postea Paulo V ac postremum persuncto Hispaniarum Rege subscriptione sanbabitum) anno 1606. inscio Cæsare Rudolpho inierint, cui de successione Imperij expresse inserta provisio, atque ut dignitatem in sua domo continuarent, unanimi conspiratione se obligarunt, primogenito Archi-Duci Matthiæ (quem tamen olim prævertere Albertus superius enarrato molimine conatus fuerat) ad consequendam Rom. Imperij Coronam opem omnem laturos, primo urgente necessitate, coacto etiam exercitu adfuturos esse. Quod si itaque Principibus Austriæ ad Coronam Cæsaream vivo etiam Cæsare adspirare, successionem, immo Imperij pactis, familiæ inserere licet, quæ tamen omnia successionem hæreditariam capitulatione prohibitam, & rem Imperio & Reipub. Germaniæ abominabilem, ipsaque morte acerbiorem invehunt, aut saltem semitam ad servitutem sternunt: Qua tandem ratione Columnæ Imperij & publicæ libertatis custodi vitio verti potest, eundem in tanta imbecillitate Matthiæ Cæsaris (ut qui pedem jam alterum in sepulcro haberet, ac veluti civiliter mortuus esset, quique post paucis mensibus naturali morti debitum persolvit) cum Principe Imperii ad præcavendam successionem hæreditariam cum nullius mortalium præjudicio contulisse. Ex quo vel manu tangere licet, quanta cum injuria Elector Palatinus à Compilatore toties crimine læsæ Majestatis, ac quasi Imperia & Regna ab uno ad alium transferre, domuiq; Austriacæ tres coronas rapere satagisset, falso accusatus fuerit. Omnia enim, ut ex Cancellaria ipsa superius ostensum, in casum mortis Matthiæ Cæsaris & vacantis Imperij fuere expressa conditione restricta. Mortuo autem nihil auferri potest, quia nihil amplius habet, immo amplius non est, & non Entis nullæ sunt qualitates Vacans enim Imperium, sive vacans corona Imperialis nemini auferri potest, quia à nemine adhuc possidetur, sin vero, vacantem Coronam Romanam futuro Cæsari Romano ante ipsius electionem, aut domui Austriacæ, Comitem Palatinum intervertere voluisse, aliquis cum Compilatore (pag. 33.) dicat, næ necessaria consequentia sequatur oportet, Cæsaream Majestaté nondum electam, vel domum Austriacam jus aliquod in Coronam Romanam jam ante habuisse. Nihil enim detrahi alicui aut eripi potest, quod nunquam habuerit: privatio enim præsupponit habitum. Hoc vero plane novum & inauditum immo monstrosum quiddam in Imperio esset, Cæ-

sareæ Majestati ante Electionem in Coronam Imperialem aliquid juris fuisse, quod nec Cæsareos Consiliarios ac ministros ipsos, immo adhuc minus illud, quod ex verbis Compilatoris nostri necessario elicitur, probaturos verisimile est, domum Austriacam sive ante sive post electionem jus aliquod in Coronam sæpius nominatam meè prætendere. Discrimen enim inter electum Cæsarem & domum Austriacam quis non agnoscat maximum? Ius Cæsaris personale est, personam non egreditur, & cum persona extinguitur. Iura domus Austriacæ sunt realia, & ad successores transeunt. Sic Compilator cæco zelo, quo Electorem Palatinum ac Vnitos majori omnium exponat odio, abripitur, ut cæteris prioribus jam recensitis alios etiam palbabiles in hoc articulo errores, ex quibus multa absurda & inconvenientia sequuntur, adjiciat. Non enim novum est, pro tuenda Germaniæ libertate, pacta nonnunquam, conventiones, & fœdera cum aliis principibus iniri, cujus rei ipsi Bojariæ Duces, ac VVilhelmus & Ludovicus inprimis exemplum nobis luculentum præbent. De quibus audiatur Thuanus l. 2. Historiar. *Cum aliquot ante annis* (ut Imperium in familia firmaret, Carolus V. scilicet) *Ferdinandum fratrem Regem Romanorum Coloniæ renunciasset, id septemviri & alij Germani Principes quod contra Carolinæ Constitutionis leges factum esse dicerent, magnopere improbabant, & sine septemvirorum consensu potuisse fieri negabant. Itaque & eo nomine Saxo, Hessus, VVilhelmus & Ludovicus Bavari fratres, Libertatis Germaniæ tuendæ caussa clam fœdus icerant cum Francisco, qui centum aureorum millia in eam rem apud Boiaros deposuit, ut in promtu essent, si quid inopinati accideret.* Cum eodem Galliarum Rege Francisco pactum iniit Landtgravius Hassiæ Philippus, cujus vigore pecuniæ summam impetravit, qua exercitum ille collegit, ac Vdalricum VVirtembergiæ Ducem in principatum suum restituit, sine quo nec ipse, nec ejus posteri fortassis illum recepissent. Ad hoc nemo ignorat, quæ ante 71. annos cum Henrico II. Galliarum Rege pro libertate Germaniæ à Mauritio Saxoniæ Electore, Alberto Marchione Brandeburgico, Iohanne Alberto Duce Megapolitano, VVilhelmo denique Hassiæ Lantgravio sancita fuit confœderatio. De illa itidem Thuanus lib. 6. *Adiectum conditionibus, videri e re omnium esse, ut Rex quam primum Cameracum, si possit, Divodurum sive Metim, Tullum & Virodunum, Lotharingiæ civitates occupet, & præsidio firmatas Vicarij Imperij nomine in posterum teneat; bellum in Belgio excitet, quo Cæsaris vires pluribus locis occupati distrahat. Postremo*

stremo a fœderatis promissum, se deinceps pro tanto beneficio Regem amici & parentis loco habituros, eiq; vicissim in conservandis & recipiendis provincijs, sibi aut majoribus ereptis, præsto futuros; & omni ope enixuros ut ipse in Cæsarem eligatur, si velit. sin minus, ut is eligatur, qui ipsi videbitur, qui amicitiam cum eo colat, & pacta hæc servaturum jure jurando promittat. Et paullo superius: *In primis, trimestris stipendia Rex 240 millia aureorum, in singulos sequentes menses 60 millia dependat.* Hujus nunc Confœderationis subjecta Materia si cum illo tractatu, quem Cancellaria Bavarica cum Duce Sabaudo initum tantopere exaggerat, conferatur, en tibi, quanta differentia? Hic enim nihil aliud, quam simplex quædam communicatio cum Principe Imperij fuit: illa cum Principe extero Galliarum Rege in fœdus perfectum abijt. Nuda illa communicatio perfectionem non sortita in contemplatione & idea perstitit: hæc sollemnis confœderatio omnibus absoluta circumstantijs & corporali utrinque juramento firmata fuit, quod in dicto 6. Thuani libro videre est. Tractatum illum nihil, hanc insignis expeditio ipso facto sequuta est. Contra ipsam Cæsareæ Majestatis personam nunquam Elector Palatinus in campum prodijt. At Mauritius Elector cum confœderatis ipsum Carolum Cæsarem adortus eundem è proprio domicilio ejecit, omniaque, quæ in illo reperiebat, militis direptioni permisit. Promisit insuper Mauritius, omni se ope enixurum, ut Galliarum Rex in Cæsarem eligeretur, non addita (ut in tractatu illo Sabaudico disertè factum) in casum mortis vacationis futuræ limitatione. Nec Galliæ Regi solum tum promissa fuit electio, sed etiam, si minus vellet, eum electum iri, qui amicitiam cum Gallo coloret, & pacta hæc servaturum jurejurando sponderet. Videt itaque Lector, longè ulterius, quam in tractatu illo Sabaudico, cum Gallo confœderatos illos, quos diximus, progressos, quos tamen nemo vel tunc vel postea in imperio ob confœderationem illam, aut ejus vigore, contra ipsum Carolum V. susceptam expeditionem criminis læsæ Majestatis postulavit, vel abditorum, fraudulentorum, ac noxiorum, contra Cæsarem, Imperium aut ejus constitutiones, consiliorum reos fecit. Quod nec Compilatorem adgressurum credibile est. Nam si hoc auderet, procul dubio malam ab Electore Saxoniæ, Brandeburgi, Neapolitano, Hassiæque Principibus relaturus esset gratiam. Immo à cunctis communiter Protestantibus actione injuriarum publico nomine impeteretur;

quippe quam omnium confessione per illam cum Rege Galliarum confœderationem (sine cujus ope tantum onus nimis grave fuisset) & mox sequutam belli expeditionem libertas Imperij conservata,& pax religioni acquisita sit. Quanta itaque inæqualitas & iniquitas est, soli nunc Palatino Electori nudam aliquam ac simplicem propositionem ex amore patriæ libertatis profectam,& ad præcavendam successionem hæreditariam unice tendentem,ut nefas & morte piandum exprobiare? Ex prioribus porro liquet,Regem Galliarum Henricum (veluti Rex quoque Franciscus Bavaris olim & Hassiæ Landgravio idem præstitit)ingentem pecuniæ summam Mauritio Saxoniæ Electori & socijs ad expeditionem illam suppeditasse, majoris securitatis causa datis utrimque magni nominis obsidibus. In tractatu autem cum Sabaudo, qui ipse tamen ad effectum non pervenit,immane quantum Compilator exaggerat, quod certæ summæ pecuniariæ in propositione, ut & ad Rempubl. Venetam, mentio facta fuerit;quasi vero ab illa Repub. subsidium pecuniarium postulare monstri simile esset! Annon eadem Henrico IV. ut coronam Gallicam è manibus Hispanorum eriperet, insigni subsidio pecuniario, cum æterna singularis prudentiæ & tempestivæ liberalitatis laude subvenit? Annon idem meruit encomium, quum Duci Sabaudiæ, ut suas ditiones contra Hispanum ac præsertim Don Petro de Toledo (qui cum 40000. militum copijs ditionem eius ingressus Vercellas jam occupaverat) defenderet, eadem ope succurrit? Annon denique Vniti, Vnionisque Director Elector Palatinus, caussæ & occasionis satis habuit, dictam Rempublicam pro tuenda antiqua libertate & avertenda hæreditaria in Imperio successione de subsidio aliquo pecuniario interpellandi, Rempub. cum qua vetustæ amicitiæ jura,jam tempore fœderis Smalcaldici ceptæ (ut autor est P. Paruta in historia Veneta Italica circa annum 1546.) hactenus singulari studio coluit? Insuper constat,Electorem Palatinum communem semper Imperij salutem magna cura quæsivisse, gravatos afflictosque Evangelicos, non attento religionis discrimine, fideli ope juvisse, atque hoc ipso malam aliorum gratiam inijsse, consiliarios vero ejus & ministros in odium & offensionem partis adversæ incurrisse. Sed iniquissimum est, hunc rancorem & bilem in paucos ex his effundere, ac si illi soli perniciosorum consiliorum inventores ac auctores fuerint, maxime hoc rerum statu, & infeliciori Electoralis Palatinatus fato,

ijsdem.

ijsdemque cunctorum motuum caussam, exemplo Bavaricæ Cancellariæ, adscribere. Quippe non alia consilia abhinc 10. annis in Electorali Palatinatu agitata fuisse, nemo non novit: & ex fideli narratione compertum est, primarium quendam Consiliarium Cæsareum, quum de Bavara Anhaltina Cancellaria, ac si adeo singularia secreta illa proderentur, tantos agi triumphos audiret, dixisse; Nugas illas meras esse, nec novi quid patefactum, sed consilia illa etiam tempore Iohannis Casimiri Ducis & diu ante ejus Administrationem in motu fuisse.

CAP. IV.

Vnitos, Palatinum præsertim Electorem & alia capita, Bohemicis turbis in rem suam abusos, nullius unquam pacis sanciendæ cupidos, id summopere potius timuisse, ne turbæ Bohemicæ componerentur.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

Electorem Palatinum vel ejusdem intimos Consiliarios non pacem in Regno Bohemiæ, sed ejus turbationem sectatos fuisse, ex supra commemorati Electoralis Palatini intimi consiliarij, Plesseni videlicet, epistola sub dato 21. Septemb. Anno CIƆ IƆ C XVIII. liquere ait Compilator pag. 58. Hæc Epistola, ut ex diligenti ejus relectione patescet, duo in se membra continet. Quorum primum consilium habet militare, quo pacto copiæ Bohemorum defensive usurpari commodeque hinc inde distribui possent. Ac illud ipsum privatum est consilium Epistolæ familiari obiter insertum, quod præter & contra intentionem scribentis, immo contra ipsam litteram, nec potest, nec debet ita accipi, ac si Bohemis æquam, tutam, & durabilem pacem, crassissimo quodam errore illi invidissent, cum, Hannibale apud Livium teste: *melior tutiorque sit certa pax, quam sperata victoria.* Quin justus tunc potius metus erat, ne Bohemi in bello defensivo errore forte commisso, commodis consecutis iterum exciderent, atque ex eo succumberent, cum jactura Religionis & Libertatis suæ, id quod postea accidit. Altero membro cautela indicatur,

Bohemis in sancienda armorum suspensione adhibenda. Vbi Compilator pag. 60 hanc parenthesin adjicit (*Hic iterum videre est, quid sub specioso prætextu suspensionis armorum quæsiverint Vniti.*) Sed duplicem omnino errorem errat. Primus est, quod suspensionem armorum in Bohemorum commodum, & partis adversæ præjudicium à Palatino Electore, vel Consiliarijs propositam fuisse existimet. Certissimum quippe est, quod nec acta, si consulantur, nec Principum quorundam Consiliarij diffitebuntur, dictam armorum suspensionem Palatinum Electorem, neque proposuisse unquam, neque urisse, sed eandem ab alijs in medium allatam fuisse. Secundus error est, quod suspicatur Compilator, (suspicatur enim, non scit) sub prætextu suspensionis armorum aliquid contra Cæsaream Majestatem periculosi quæsitum fuisse. Nam in confesso est, Bohemis tunc temporis valido exercitu instructis omnem moram & armorum suspensionem damnosam; parti verò adversæ, quo suas interim vires augere, & varia machinari in Bohemia sub velo induciarum posset, percommodam, omnibus votis expetitam fuisse. Vnde evidenter apparet, parenthesin illam obtorto huc, quod aiunt, collo raptam, & per errorem & circumstantiarum ignorantiam dolose adscitam fuisse. Quæ ulterius in Epistola illa memorantur, quod Cæsariani per istiusmodi compositionem & transactionem plus, quam per vim & violentiam sese obtenturos confidant, atque ex eo pacis forte tractationem amplexuri sint, illa sane de simulata tractatione intelligenda sunt, cum in finem suscepta, ut adversarij tempus lucrari, & viribus interea commodisque varijs aucti, Bohemis vero ex securitate defensionem suam negligentibus, subito omnem tractatum abrumpere, & Bohemos re infecta dimittere possent.

Cæterùm in toto Imperio notissimum est, Bohemicorum motuum compositionem Moguntino, Palatino, Saxoni, Electoribus, & Principi Bavariæ delegatam fuisse; hunc vero perpetuis excusationibus interpositionem subterfugisse. Quæ illum caussæ impulerint, cuivis divinare liberum relinquitur. Verum qua fronte in Cancellaria sua Compilator omnem interruptæ pacis Bohemicæ culpam in Vnitos, vel Palatinum saltem Electorem & Consiliarios conjicit? Meminisse potius debebat accuratissimi Consilij quo Austriaci Status Cæsareæ Majestati, ut Bohemici motus compositionem, Vngariæ, Austriæ, Moraviæ & Silesiæ provincijs demandaret,

fideliter

fideliter suasserunt. Nunc, quis quæso autor fuit, ut secura ista & compendiosissima via rejecta, sub prætextu, rem omnem Collegio Electorali demandatam esse, præparationibus bellicis daretur opera, & tandem irruptione in Bohemiam Bucquoy Comitis fatalis belli fieret initium? Nullo pacis amore flagrasse Vnitos, cum tamen ab Hispano & Papa nihil periculi ipsis metuendum esset, Compilator pag. 66. similiter ex superius allegatis Plessen litteris xi. Sept. datis demonstrare conatur.

Quo melius itaque Lector assequatur, quo in litteris illis scriptor respexerit, suggerendum ipsi hoc est, Don Balthasarem de Luniga Pragæ tunc commoratum multis ante Bohemicos hos motus annis, tum exortarum turbulentarum quarundam actionum occasione, ad defunctum Hispaniarum Regem scripsisse, *Regnum Bohemiæ magno in discrimine versari, ac si fortè Ordines aliquem ex se ipsis pro Duce arriperent, aut in Protestantis alicujus Electoris manus regnum perventurum esset. Ex casu successus temporis ingens periculum Belgicis Provinciis, Burgundiæ Comitatui, tandem etiam Ducatui Mediolanensi, & Regno Neapolitano accrescere posse, &c.* Hujus forsassis relationis gnarus Plessenus, ejusdem in allegatis litteris meminit, alio tamen longe sensu, aliove modo, quam hic à Compilatore recensetur. Quippe ex Originali Gallico, ad quod provocatur, ille sensus liquido apparet, cum juxta superiorem Don Balthasaris relationem Regis Hispaniarum tanto pere intersit coronam Bohemicam in domo Austriaca continuari, idcirco omnino præsumendum, Regem illum *le verd & le sec*, hoc est, omnes suas vires ad hunc effectum adhibiturum, valisdisque copiarum & pecuniæ subsidijs præsto futurum esse, nec tamen compositionem forte aliquam illum recusaturum, modo Cæsari (en expressè adjectam conditionem) Bohemiæ regni possessionem iterum adipisci posset, idque vel hanc ob rationem, quod recuperata regni possessione, atque ita iterum insessio equo Bohemico, arreptisque frenis, pro libitu hic agitari, & quæ per compositionem connivendo & tempori inserviendo indulta fuerint, facile ac paulatim in statum pristinum reduci potuissent. Hanc Dn. Plesseni conditionatam ac modificaram adsertionem pro pura Compilator accipit, ac si nullus ab Hispanicis armis metus, sed ab illis Vniti securos se esse arbitrati fuissent. Sed ipsa Epistolæ formalia verba in contrarium eunt, ac Regem tantum Hispanorum compositionem, qua Cæsar Bohemiæ possessionem V. addit. 1. N°. 2.

conse-

consequeretur, non recusaturum dicunt. Ex quo, arma enim penitus neglecturum, Cæsareæque Majestati defuturum, ineptè concluditur. In Hispania siquidem & Italia illud frequentissimum est, *Le prattiche non sospendono le armi*, *Tractationes arma non suspendunt*. Quod & hic ipse tandem eventus docuit. Nam quum Compositio non procederet, & hoc Hispanus animadverteret, sanè contra Bohemos Cæsari magna, qua militibus, qua pecunia auxilia suppeditavit, quæ idem Don Balthasar (quem ante annos aliquot superiora perscripsisse diximus) primarius Regis consiliarius, tunc ad Hispanos reversus studiose promovit. Iam quod ad Pontificem Paulum V. (de quo hic agitur) attinet, certum est, illum sub initium belli Bohemici eo tempore, quo Plessæi litteræ scriptæ fuerunt, non magnam sive ad illud sive ad Romano-Catholicæ Ligæ apparatus bellicos aliquid contribuendi inclinationem habuisse, cum ex certa relatione, ac ipsorum etiam Pragensium Capuccinorum litteris intellexisset, Romano-Catholicos in Bohemia tam sæculares, quam Clericos à novo Rege nullatenus nec lædi nec gravari, nec in cultu suo divino turbari. Sed postea, cum indesinenter urgeretur, perpetuoque scandalum non expiandum, si Catholicos in Germania desereret, ipsi inculcaretur, tandem 20000 Coronatorum in singulos menses se numeraturum promisit: ærario vero suo aut Thesauro in Castello S. Angeli adservato altius ut immitteret manum, nullis rationibus adduci potuit. Vt tamen Romanenses Imperii aliquo placaret modo, Italico minorum gentium clero decimas indixit, quam ob causam in cœlum usque (*fino alle stelle*) clamores illos extulisse, & quosdam ex Pontificijs principibus Germanis diris omnibus devovisse, relatum fuit. Clericis autem illustrioribus, ac Cardinalibus præsertim, Immunitas data, ex hoc fundamento: Illorum reditibus parcendum esse, quod illis ad conservandam dignitatem Ordinis Cardinalitij ipsi indigeant. Vnde denuo Lector animadvertit, Plessenum certæ hic nihil & indubitatæ rei adseruisse. Sed ad litteras ex Italia scriptas se retulisse, & res quidem ipsa tum sane probabilis, sed postea successu temporis mutata fuit, sicut in ejusmodi relationibus sæpe evenire solet. Quibus omnibus consequens est, Compilatorem ijs, quæ ex litteris Dn. Plesseni excerpsit, parum probasse, quod Papæ rem deinceps cordi non futuram Palatinis exploratum fuerit, Omnia

enim

enim illa tantum in conjecturis ac probabilitate, non in certa scientia fundamentum habuerunt.

CAP. V.

Vnitos, ac Capita inprimis, omnis inquietudinis, seditionis, & motus, in Vngaria, Bohemia, Incorporatis & Austriacis Provinciis, autores, motores ac impulsores fuisse.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

HAc insimulatione ac accusatione tota Bavarico-Anhaltina Cancellaria undique & ubique referta est. Verum interrogandus nobis hic Compilator, an solus scilicet ille sit, qui Austriacos & vicinos status totos jam L. annos continuè exulceratis animis irritatos ac propterea inquietos fuisse, ignoret? Omnibus causa rei perspecta, ac præcipuum ipsorum gravamen ex prohibitione exercitij Augustanæ Confessionis fluxisse. Vnde optimus ille senex, Lazarus Schvvendius, Maximiliano Cæsari consilium quoddam anno 1572. obtulit, in quo cuncta, quæ postremis hisce annis in Austria contigerunt, veluti Vates prædixit, Cæsaremque à periculosis istis motibus quam fidelissimè est dehortatus! Vbi ergo tunc ante annos 52. Vniti eorumque capita delitescebant, quibus Compilator scaturiginem & originem omnium in Austria & Provincijs finitimis malorum impingit? Ad Bohemos vero quod attinet, eorum quoque à multis annis inveteratam exulcerationem animadvertere licuit, eosque varias ad defensionem suam præparationes instituisse, confœderationesque cum finitimis Regnis & Provincijs, Cæsare Matthia sciente & permittente, icisse, constat. Postremos vero motus ex justissimo dolore, ex læsa sæpius & in furorem conversa patientia exortos, notorium est, ut nihil hic præmeditati præsumi possit. Quam in rem Simeon Partlicius de Spitzberg in Mundo furioso, *Bohemi*, inquit, *olim a Rudolpho Imo victi, sub Matthia & Ferdinando, ob præsidum injurias, defecerunt.* Vbi notanda verba, *ob præsidum injurias*. Ac idem hic Bohemis, quod Belgis olim, accidit, *Dura & prærupta consilia insecuta est populorum desperatio, ac postremo defectiones*, ut pulchrè hanc in rem in Præfatione

D Histo-

Historiarum, Thuanus disserit. Causæ præterea horum motuum in succincto quodam Latino de Cardinale Cleselio scripto (quod in aula Cæsarea omnium manibus est) rotundè proditur, *Cleselium Bohemis tumultuandi occasionem præbuisse.* Immo amplius (*Nella risposta à ponte sparsi in Roma contra S. A. di Baviera*) sub articulo ultimo expresse invenias, *Cæsaris sive in Bohemia sive in aula ministros universorum motuum & malorum Bohemicorum autores fuisse*, & frustra illos ac falso hanc culpam in alios innocentes rejicere. Quorum omnium immemor Compilator noster culpam tamen in Vnitos, per oblivionem credo, transferre conatus est. Quantum denique ad Vngaros, ecquis dicere ausit, Botschaium ab Vnitis excitatum fuisse, ut se Georgio Bastæ & Belgiosæ tyrannis opponeret? An vero in tota Hungaria notissimum non est, Bastæ & Belgiosæ regimen Machiavellicum Botschaio & Vngaris ansam dedisse, arripiendi arma, ac æquas pacis conditiones ab Austriacis extorquendi? Quæ itaque & quam insignis & ex proposito impudenti fluens iniquitas est, ut quæ in Bohemia *præsidum injuria* & dura ac prærupta consilia, in Austria prohibitio exercitij Euangelici, Machiavellica dominandi libido in Vngaria, mala acceleravere, solis nunc Vnitis per calumniam imputentur ac adscribantur? Verum nunc ad præcipuum articulum ac principalem Bavarico-Anhaltinæ Cancellariæ materiam transeamus.

CAP. VI.

Electorem Palatinum acceptatione nova Electionis Bohemicæ, reali Regis salij Pragensis occupatione, admissa etiam acceptaque coronatione, ac generali recepto homagio, crimen læsæ Majestatis commisisse, omnem malorum in regno illo, vicinis regionibus & Imperio Romano lernam accersivisse.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

Regnum Bohemiæ Palatino Electori, ac alijs forte Principibus & Vnionis statibus, Consiliarijs item & ministris Archi-Palatinis alijsve, Regnum Electivum non hæreditarium visum, Regnicolisque jus eligendi Regem (ut Aurea Bulla loquitur) ab ijsdem adscriptum esse,

esse, ob inferius positas rationes hominı adeò novum aut insolens esse potest aut debet. Ac primo quidem, quia de Electione Regum Bohemiæ plenæ sunt Vngaricæ & Polonicæ historiæ, pleni Annales Silesij, plena exemplorum ac monumentorum Bohemicorum vetustas. Quis autem ante hæc divinare potuisset, Electionem nihil aliud esse, quam alium quemvis modum acquirendi regnum? aut quis hæreditariam quoque successionem electionis verbum in se complecti hactenus somniasset? Siquidem hæc demum explicatio à clade Pragensi in Imperio extractam illo innotuit, quem de jure hæreditario Domus Austriacæ concinnatum Sigismundus Latomus Francofurti 1621. typis edidit. Quæ interpretatio num juris & historiæ veritati conveniat, ipse Lector judicet, cum in memoriam sibi revocabit, quod omnia Regna & omnes Principatus acquiruntur aut per Electionem aut per hæreditariam successionem, & quod Electio & jus hæreditarium simul consistere non possunt: immo quod posita Electione tollitur jus hæreditarium & è converso. Secundo, quia omnibus sæculis multi iam vicini, quam alij Reges ac Principes, ad Regnum Bohemiæ adspirarunt, & eo ipso illud pro Electivo regno habuerunt. Sic Poloniæ Reges diversis vicibus filios & fratres suos ad Coronam Bohemicam via electionis promoverunt; ut ex historia Cromeri in vita Casimiri & Sigismundi & alibi licet cognoscere. Sic & Carolus VII. Galliæ Rex vita functo Ladislao Rege, cujus matrimonio filiam desponderat, ad Bohemicos status tunc ad eligendum novum Regem congregatos splendidam legationem destinavit, per quam status illos sollicitaret, ut è filijs suis unum, vel cum saltem cui filiam elocaturus esset, Regem sibi eligerent, (ut in historia Bohemica Æneæ Sylvij legimus, clarissimo testimonio Galliarum Regem illum, Bohemicum Regnum electivum non hæreditarium censuisse.) Nec minus etiam Matthias Corvinus Vngariæ Rex Coronæ illius consequendæ gratia iam diu laboravit, donec à Papa Ænea Sylvio, seu Pio II. illam consequeretur, quod scilicet hic, tempore rerum Austriacarum peritissimus, ac Frederico III. & Domui Austriacæ obstrictissimus, nunquam facturus fuisset, si Regnum istud hæreditarium & Domui Austriacæ subjectum esse existimasset. Immo adhuc apud Iovium lib. 30 Histor. sub initium invenire est, Wilhelmum Bavariæ Ducem eandem Coronam cum Ferdinando I. competivisse. Quod Monachij in memoriam subinde revocari, quam Electoris Palatini

acceptationem Regni Bohemiæ adeo sinistrè interpretati, æquius fuerat. Iam tertio, Iovius dicto l. 30. Histor. hæc memoriæ prodit; *Bohemi nequaquam Regem e popularibus, sed ab externis nationibus, quem virtute, atque justitia potiorem putaverint, vetere instituto sibi deligunt, ita ut modo Hungarus, modo Polonus, & ut hodie videmus, nonnunquam Germanus Bohemiæ Regnum deferatur.* Quarto, in Confessione Tengnagelij Archi-Ducis Leopoldi Consiliarii scripto ab ipso comprehensa, & Bohemicis Ordinibus exhibita, reperire licet, quod ille quoque Bohemiam & Ungariam electiva Regna esse statuerit. Quinto, Wolfgangus Wilhemus Comes Palatinus (& cum eo dubio procul plures Imperij Principes) Regnum Bohemicum electivum esse censuit, quum Majestatem Cæsaream in superscriptione Epistolæ Congratulatoriæ, Electi Bohemorum Regis titulo condecoravit, electionisque nomine ei gratulatus est. Quibus sexto loco accedit Aurea Bulla, quæ incolis Regni Bohemiæ jus eligendi Regis in casum vacationis Regni oppressè tribuit. Ex quibus sequitur, nec simpliciter hæreditarium exsistere posse Regnum illud, sed necessario Electionem in certis ad minimum casibus Regnicolis competere. Ac licet verba illa, vacationis regni, in controversiam venire possent, juri tamen congruum est, quod in dubijs & obscuris ea capienda sit interpretatio, quæ quam minimum absurditatis & iniquitatis in sese continet, & quæ eo tendit, ne lex elusoria dici possit, per jura vulgata. Ius quippe eligendi ad casum duntaxat, quamdiu è Caroli IV. & ipsius descendentium stirpe superstites erunt, restringere, absurdum plane & elusorium esset. Nam Caroli IV. descendentes ex Luzelburgica prosapia in tot Regias & Germaniæ Principum familias dispersi sunt (inde enim Regij in Anglia & Dania liberi, innumeri Principes in Domo Brandeburgica, Megapolitana, Luneburgica, atque adeo in ipsa Palatina originem ducunt) ut etiamsi mortales casus spectemus, tamen secundum hunc intellectum Regnicolis jus Electionis in æternum non competiturum sit. Nemo autem vel dupondius in jure ignorat, absurdum dictu esse, legem aliquam (præcipue adeo sollemnem, qualis aurea bulla est) loqui & disponere de casu, qui per rerum naturam nunquam possit exsistere. Veruntamen non eo hæc fine adducuntur, ut hoc loco de jure regni apud Bohemos ex professo disceptetur: Illud saltem agitur, ut lectori tantum non manibus palpare liceat, Electori Palatino alijsve, quod

ve, quod regnum Bohemicum electivum, statusque electionem liberam competere censeant, crimen propterea læsæ Majestatis de jure nec posse nec debere impingi. Nam ut ille, qui probabili litigandi causa ductus in judicium descendit, in pœnam temere litigantium condemnari nequit: sic nec Palatinus Elector, nec alij, qui Bohemiam pro regno electivo acceperunt, vel adhuc Electivum esse judicant, ullius doli mali (sine quo nullum, nedum læsæ Majestatis, crimen committi potest, & à quo etiam levissima causa excusat) incusari aut convinci ullo modo possunt. Quo posito fundamento, Lector prudens facile decernere secum poterit, summa cum injuria, propter hanc causam Bohemicam, Electorem in bannum imperij Romani declaratum fuisse. Primo ob jam allatam rationem, quod à dolo malo merito sit excusandus. Secundo propter defectum jurisdictionis in Cæsareæ Majestatis persona, quam in hac privata ad Coronam Bohemicam prætensione non ut Cæsarem, sed ut Archi Ducem Austriæ considerandam, diversi jam tractatus & scripta abunde comprobarunt. Archi-Duci autem nullum omnino Imperium, nulla superioritas, nulla Iurisdictio in Electorem competit. Tertio, quia Regnum Bohemicum in jurisdictione Imperij Romani, cum Camera Imperiali Spirensi, cum Cæsareo judicio aulico, cum pacis publicæ, & exsequutionis ordinatione, aliisve Constitutionibus nihil quidquam commune habet, ut in confesso est. Qua igitur ratione, & quo fundamento, quo denique jure præscriptio seu bannum Imperij, ejusque sententia à judicio Cæsaris aulico in causa Bohemica contra Electorem Palatinum lata potest subsistere? Sane hoc modo qui vel in Regno Daniæ, vel in Svvetiæ, vel Galliæ delictum aliquod patrasset, in bannum Imperij condemnari posset. Cum denique Elector Palatino præsentis hujusce calamitatis, turbulentorum ac perniciosorum in Bohemia, Vngaria, Austria, &c. Imperioque Rom. motuum causam adscribunt, maliciosus error est, ac similiter omni carens fundamento. Si enim illorum primas verasque causas quis examinet, statim, quicumque Christum non ore sed corde profitetur, ex sacris litteris novit, eiusmodi universales pœnas, quibus totæ provinciæ affliguntur, non casu, sed ex certa Dei Omnipotentis providentia & dispositione ad coercendam crescentem hominum malitiam fluere ac

immitti. Quemadmodum & Propheta inquit, *Non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus*, malum pœnæ scilicet. Et in hanc quoque rem Thuanus lib. 59. Hist. *Anceps*, inquit, *belli alea, & incertus victoria exitus, qui plerumque non ad justiorem causam inclinat; quin summo usu venire cernimus, ut per similes casus Deus, quem justa in nos concitatum ira citra præfractam impudentiam diffiteri non possumus, suos puniat.* Insuper & id è Sacra Scriptura haurimus, inter Principes & subditos discordiam justo divini Numinis judicio permitti. Sic enim libro Iudicum cap. 9. vers. 22. 23. legimus, *Regnavit itaque Abimelech super Israel tribus annis. Misitque dominus Spiritum pessimum inter Abimelech & habitatores Sichem: qui cœperunt eum detestari.* Ex quo apparet, ut evidentius nequeat, exortam illam Bohemici populi ab Austriacis eorumque regimine abalienationem à Deo ipso omnipotente immissam. Ac verum illud Erasmi Roterodami effatum experientia & res ipsa comprobat: *Bella sunt communes pœne utriusque partis.* Si ad causas nunc secundas eatur, pro Electore Palatino sollemnis Ordinum Bohemiæ vocatio & electio militat, quam ut pro legitima agnosceret, ponderosissimis rationibus motum supra diximus, adeoque vel minimum titulus putativus, ut I C^ti nominant, illum excusat. Contra hanc Palatini Electoris electionem & vocationem Cæsar Bohemicis statibus controversiam movit, ac publice Coronam Bohemicam ut sibi hæreditariam, & Bohemos ut hæreditarios subditos vindicare instituit. Qui è contrario Coronam Bohemiæ non alio quam Electionis titulo deferri defendentes, cum etiam arma, jam ante Electionem & adventum Palatini arrepta, manibus tenerent, extrema potius pro Libertate & Religione experiri, quam consentire voluerunt. Fortuna quidem ipsis non favit, sicut ad tempus arma deserere coacti fuerint: at caput Controversiæ, An Bohemia Electivum an domus Austriacæ hæreditarium regnum sit, ne in hodiernum quidem diem legitime decisum, sed adhuc sub judice lis est. Quam ne nostram facere velle videamur, suo scilicet loco relinquitur. Hoc tamen solum hic lubet inquirere, quid in eo Palatinus peccaverit, quod Cleselius & alij Bohemis tumultuandi occasionem præbuerint, quod Bohemi *propter præsidum injurias* defecerint, ut superius indicatum est? Aut quam Palatinus sustinet culpam, quod Consiliarij & ministri Austriaci machinationibus molitionibusque suis cum Hommonay, quem ad Principatum Transsylvaniæ evectum desiderabant, Principem

pem Bethlemum Gaborium in se concitarint, eique quærendis Constantinopoli auxilijs ansam dederint? Ex quo arctior postea conjunctio cum Hungaris, cæteræque in Hungaria mutationes sequutæ sunt. Reliquæ vero in Imperio turbæ post cladem Pragensem æqua pacificatione facile componi potuissent. Nulla enim tum ferè Germaniæ provincia extra Palatinatum ad Rhenum belli mala senserat, sic ut commodissimum illud ad securam & perpetuam pacem stabiliendam tempus fuerit, maxime quum ex victoria Pragensi Cæsarea Majestas & belli socij egregia consequuti essent commoda. Præclara enim Domini de la Noue in discursibus Militaribus & Politicis cap. ult. doctrina est, *quod alterutra belligerantium partium tunc optime & securissime pacem pacisci possit, postquam insignem commoditatem parti adversæ eripuit.* De quo & Hanno Carthaginensis post victoriam ad Cannas apud Livium Decad. 3. lib. 3. perbellè infit: *Res bello benè gesta, si volumus fortuna uti, pacem nobis æquiorem dabunt. Nam si prætermittimus hoc tempus, quo magis dare, quam accipere possumus videri pacem, vereor ne hac quoque lætitia luxuriet nobis, ac vana evadat, &c.* Hoc temporis punctum accurate observavit Marchio Spinola, quum ante paucos annos Regi suo pacem cum Batavis persuasit, ipseque inter alios pacificationis tractationi interfuit. Quod si Cæsarea Majestas illo adhuc tempore, quo Baro Digby Angliæ Regis nomine interpositionem obtulit, promittens, Regem suum ad conditiones æquas & convenientem submissionem Generum suum adducturum esse, suspensionem armorum, sinceram æquabilemque compositionem admisisset, tuoc sanè mox subsequuta devastatio & depopulatio superioris inferiorisque Palatinatus, vicinarumque Regionum, & simul tot detestanda facinora, homicidia, & incendia facta non fuissent. Sed quibus ex causis omnis pacis actio repudiata fuerit, facile cuivis liquet ex diu coctis consilijs & molitionibus, quæ postmodum Temporis filia Veritas juvante Deo in lucem produxit.

Consulantur additamenta No 5.

V. infra in addit. No. 5.

CAP.

Cap. VII.

Vnitos bellum, quod dudum antea praparraint in Catholicos, in conventu Norica Anno 1619. decrevisse,

Ad hujus articuli probationem pag. 203. Compilator Epistolam recitat, à Voliado Plesseno Norimbergæ 27. Nov. an. 1619 exaratam.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

V. in adder No. 4. Circa allegatam hanc Epistolam Lector quæso consideret: Primo, tunc temporis illam fuisse exaratam, quum tam Vniti, quam Romano-Catholici copias utrinque militares in promtu haberent, ac Dux Bavariæ Equitum Peditumque majores copias ex Westphalia, Moguntinus vero & Trevirensis Electores Aoholtinos pedites, quos tunc conscriptos eorum consiliarij & officiarij lustraturi erant, quotidie præstolarentur. Qui itaque Plesseno vitio vertatur, quod, tali rerum statu & conditione, animi sui sensum privatis litteris per modum discursus indicavit, quibus nimirum locis, adpropinquante præsertim hyeme, Vnitorum milites commodè distribui possent? Neque usus hactenus in Imperio obtinuit, ut Principis alicuius protestantis consiliarius vel minister in ejusmodi casibus Romano-Catholicis rerum suarum rationem reddere obligatus fuerit. Quod nec à Romano-Catholicorum consiliarijs ministrisve protestantes unquam postulasse meminimus. Secundo, quod in dicta Epistola nullum vestigium repetiatur, illius invasionis, aut violentæ oppressionis vel exterminationis finitimorum clericorum, quam Compilator pag. 27. & alibi passim venditat. Sed Epistola de distributione duntaxat, & sustentatione militum Vnitorum verba facit. Prorsus ut ipsam Epistolæ litteram urgere optimo jure liceat. Tertio, suam tantum sententiam Plessenus, non vero aliquot congregatorum statuum decretum vel resolutionem perscribit. Id quod Compilatori observandum probe fuerat, ne toties ex Epistola illa concluderet, invasionem Catholicorum in Conventu Norico Anni 1619. conclusam fuisse. Hic enim malitiosus & manifestus error est. Expresse siquidem

ſiquidem in ipſa Epiſtola pag. 204. habetur: Ordines reſolutionem iſtius puncti (num in Eccleſiaſticorum terris milites diſtribuendi eſſent) Electoris Palatini tanquam Generalis, & Marchionis Onolizbachij, Electoris Generalis Vicarij diſquiſitioni reliquiſſe, qui eum Conſiliarijs bellicis, & illis, qui Pontificijs aliquanto viciniores eſſent, ea de re deliberare, & concludere poſſent. Quæ tamen concluſio nec Noribergæ concepta, nec poſtea unquam ſequuta eſt. Quin potius legatio Monachium miſſa intervenit; inde Bavarica, finito Herbipolenſi Legiſtarum conventu, prius exſpectata reſponſio, ſequuta poſt tranſactio Ulmenſis, quam Moguntina denique excepit: ſic ut ex Expeditione Unitorum bellica, de qua Compilator in ſua Cancellaria tot exclamationes congerit, nulli Pontificij, ſive clerici ſive ſæculares Imperij ſtatus ſint, militem, qui illos angeret, in ſuis territorijs viderint. Sub finem Epiſtolæ p. 212. perverſe admodum Compilator adducit ſententiam Do. Pleſſeni, qua verendum innuat, ne ſtatuum nonnulli ſub prætextu erogandæ ſuæ quotæ pecuniam in ſuos uſus converterent, cum proprietatem Gallici ſermonis forte non animadvertit, aut ſenſum rectè adſequutus fuit: Nam & verba *ſub ſpecie propriæ defenſionis*, quæ tamen de ſubſtantia ſunt, & in ſeparata Herbipolenſi & Moguntina Epiſtolæ verſione habentur, & quorum omiſſio ſenſum non parum mutat, penitus omittit. Verum ad Gallicum Originale, ad Herbipolenſem illam & Moguntinam verſionem, verumq. Epiſtolæ ſenſum publicè hic fit provocatio ſenſus ſanè alius non eſt, quam verendum eſſe, ne nervus ſuſtentando Unitorum formato exercitui deſtinatus non parum decreſceret, ſi forte Mauritius Landgravius, utpote Belgicis finibus propinquus, aut Marchio Culmbacenſis propter Bohemiæ vicinitatem, aut Marchio Badenſis, qui Lotharingios, Burgundios, Auſtriacos attingit, aut denique civitas Argentinenſis, cui Lotharingiam & Galliam verſus vigilandum eſt, (quod tabulæ Unionis certo quodam modo admittunt) militem primo ſe ipſis conſcribere, poſtea vero *ſub propria defenſionis ſpecie* (hæc enim verba in verſione ſive feſtinatione præterita, ſive dolo omiſſa ſunt) quotas ſuas retinere vellent. Hæc Compilator odioſe arripit, & vertit, in proprios uſus convertere: & addit: Quidquid etiam de receſſibus Unionis futurum, aut quidquid etiam Norimbergæ decretum fuiſſet: Cum tamen in Gallico fere legatur, *Non obſtant la conclusion, ou le recet, qu'on ſera en ce lieu &c.* Mitto ut Lector ad mitam

Compilatoris invertendo, omittendo, addendo, glossando audaciam, obstupescat: Qui tamen præ se fert, ac si accusatos originalibus suis & autographis convicerit. Sed Lector paginam porro 211. inspiciat, exemplum hinc non alienum visurus, quo in simili audacia Compilator deprehenditur. Ibi in versione sæpe dictæ Epistolæ adjunctorum etiam discursuum sive litterarum Arsenii, Plessis, Guextini, & N. meminit. Trium priorum exprimit nomina, quarti (qui fuit dominus de Haraucourt, Gubernator Nanceij,) loco N. ponit, ut antiquum obtinens strenue nonnulla omittat. Nam in altera illa Paxbergi sive Herbipoli aut Aschaffenburgi fabricata versione ipsum Haraucourtt nomen invenire est, quamvis in illa quoque verbum Haraucourt ex oscitantia in legendo in Haninecourt transmutaverint. Hoc itaque Haraucourtt nomen quo minus Compilator expresserit, nobis quidem compertum non est, sed fieri potest, ut vel domini Haraucourtij vel ipsius Lotharingiæ Ducis offensam metuerit. Verum nos Lectorem celare nolumus, Dn. Plesseno cum dn. Haraucourtio fidam multis annis cum præscitu principis utriusque intercessisse correspondentiam. Legationem denique ad Ducem Bavaricum quod attinet, quam non solum Uniti, sed omnes Correspondentes, quotquot vel ipsi vel per legatos in conventu Norico comparuerant, communi deliberatione habita ablegarunt, quamque Compilator noster mox comminantem & armatam nominare, ac hinc inde in sua Cancellaria quam odiosissimè adducere non erubescit, ex ipsis Plesseni litteris satis superque videre est, illum non libenter talem in se Provinciam suscepisse. Id quod de ipso restabuntur Saxonici Vinarienses, Luneburgici, VVirtembergici, Norici, alijque juxta Archi Palatinos ad consultationem Instructionis deputati Consiliarij, quodque varia tunc monita suggesserit, instructionem vero tam in forma, quam in materia aliam præoptarit. Cum autem & propositio legatorum, & Bavariæ Ducis responsio publicè typis divulgatæ extent, plura de illis addere non est opus: proinde Lector ad illas pro arbitrio perlustrandas remittitur. Circa hanc Epistolam Compilator miros ludos facit de Hungaris, qui à Duce Bavariæ in Moldaviam ad Pragam tam fortiter præcipitati fuerit. (pag. 191. & 207.) Ad quæ bifariam respondetur: Et primo quidem, quod non solis Bavaris hæc laus tribui possit: sed alij etiam pugnæ illi adfuerint. Publice enim statim obtenta victoria Don Verdugum proclamasse constat; *C'est moy, qui*

ay m

ay mis la couronne de Boheme sur la teste de l'Empereur: Id est, Ille ego sum, qui capiti Imperatorio coronam Bohemicam imposui. Secundo Lector observet litteras Dn. Plesseni, integro, si tres duntaxat hebdomadas addas, fere anno ante cladem Pragensem scriptas, prorsus ut Compilator egregius præteritorum Vates, & elegans scilicet Hungarorum subsannator sit. Quod si vero status Hungarici longioris in Diæta Novisoliensi procrastinationis loco aliquot equitum & Heiduccorum turmas, quibus in Bohemia equitum & peditum non exiguam manum adjungere potuissent, recta in Bavariam, cujus Dux partem exercitus sui Unitis in Suevia tum opposuerat, immisissent, judicare facile rerum bellicarum, tum Bavaricæ vicinæque regionis, & itinerum in illis locis periti possent, an non tum Bavari ad irrisionem non adeo proni futuri, nec Hungari tam cito in Danubium ac postea in Muldæ flumen præcipitandi fuissent. Hoc loco monendus est benevolus Lector, sæpe dictam Dn. Plesseni Epistolam 27. Novemb. anno 1619 scriptam, etiam ante divulgationem Bavaricæ Cancellariæ, quam citissime Monachio Herbipolim, Aschaffenburgum, Moguntiacum & Darmstadium transmissam, illisq; locis ex eo mire tripudiatum, variisque sermonibus materiam suppeditatam fuisse. Non aliter, ac si nescio quæ secreta, vel potius non monstra in illa reperissent. Immo Paxbergi, hoc est, sive Herbipoli, sive Moguntiaci, hoc etiam egerunt, in illo calore victoriæ Pragensis, & blanda imaginatione, ac si jam de Palatinis conclamatum, & nulla ipsis spes amplius emergendi esset, ut sæpè adductam Dn. Plesseni Epistolam præfixo satis injurioso titulo vel frontispicio in publicam lucem divulgaverint, ac sparserint. Sed omnino nobis persuademus, cunctos qui Plessenum bene norunt, cujuscunque etiam illi Religionis sint, longè aliter de ipso judicaturos, sensuros, ac loquuturos esse, ac inventores & auctores prædicti ignominiosi tituli faciunt. Si etiam Haslangus, Bavaricus militiæ præfectus, nunc viveret, sine dubio mendacij ruborem istis hominibus expressurus esset. Quum enim ille ad Glattavium ab Hungaris captus, & in castra Bohemorum, quæ Rockizanyrum erant, adductus fuisset, Plessenus sane, qui ibidem tum temporis morabatur, non minus quam cæteri Consiliarij & Officiarij, erga illum, licet ignotum, nihil officij aut humanitatis prætermisit, atque illud quidem tam *per termine di Cortesia*, & *per debito di Cavaliere*

 (liceat

(liceat hæc Italicè efferre) quam humillimi erga Serenissimum Bavariæ Ducem respectus ergo, qui pro ipso intercedens petierat, ut sub verbo fidei tutus ipsi ad se reditus permitteretur, donec valetudinem suam curasset diligentius. Quibus quidem petitis haut satisfieri tunc temporis, nec ipse etiam præfectus, qui ut ab Hungaris pecunia se redimere, ac in Regis captivitate permanere posset, ardentius in dies postulabat, voti compos reddi poterat, quamvis Regis ministri nihil magis voluerint, quod Generalis Vngaricarum copiarum Dux Bornemissa Domino suo, Principi Transsylvaniæ, captum à se Haslangium, perscripsisse se diceret, ideo ex hac causa Principe suo inscio è manibus dimittere religioni duceret. Cæterum omnia humanitatis officia dicto præfecto præstita sunt; Rex in conclave accersitum clementissime compellavit, Consiliarij, Officiarij, & ministri Regis complures alij, captivum omni honore, & benevolentia complexi sunt. Venerat ille in castra miser, & ab Hungaris pecunia, vestibus, ac necessarijs rebus omnibus spoliatus. Quare & his quoque ipsi, quantum potuit, subventum est, adeo ut ipse Haslangus Rockizanio ad castra Bavarorum formalia hæc verba scribere haut dubitarit: *Hic ego tanquam Legatus habeor!* Sic itidem, quum minus commodè valeret, ac Vngarorum militarem & castrensem victum (communi enim hypocausto, ubi ex cepis & allio graveolentia molesta erat, uti cogebatur) valetudini suæ sentiret contrarium, curatum fuit, ut ex Regis culina quotidie aliquot ad eum lautiora, saniora & jucundiora fercula transmitterentur; Doctori autem Rumpfio Archiatro exactior ægroti cura demandata est. Qui sanè officio suo adeo non defuit, ut Haslangus (mox enim ad Rackonizium vitam cum morte commutavit) accepti beneficij memor, 100. ei Ducatos legarit. Hæc humanitatis officia, juxta alios, etiam Plessenus, captivo, ut præcipuo intimoque Consiliario & Præfecto Bavarico præstitit, haut mehercle certus, si forte & ipse tum in simile cum Haslangio infortunium incidisset, an in castris Bavaricis eadem humanitas sibi exspectanda fuisset. Postquam vero Plessenus ex Bohemia in Palatinatum reversus est, præter spem auditu longè fuit illi acerbissimum, suam illam Epistolam gratiarum actionis loco Monachio Herbipolim, Aschaffenburgum, Moguntiacum & Darmstadium, quo scilicet Plessenus in suspicionem & odium omnium incurreret, transmissam. Quæ & ipsa mox conversa, (melius quid & sensui

sensui Originali congrue magis) ac Paxburgij aliove anonymo in loco, sub ficto falsove titulo edita, perque totum orbem sparsa est. An talia itaque humanitatis & Christianæ commiserationis officia, qualia Dn. Haslangio, quamvis Romanensi Zelotæ & hosti Euangelicorum acerrimo, tunc captivo, fuere præstita, è tam perverso corde, sicuti Plesseno, cæterisq; fidei suæ confessionem amplexis, contra honestatem, jus fasque publicis typis adfingitur, fluere suamque originem & scaturiginem habere potuerint, vetus sincerusque quilibet Christianus, cujuscumque etiam ille Religionis sit, haut difficulter colliget. Namque Christus τὸ τῆς ἀληθείας στόμα, Matth. 7. vers. 18. ipse inquit: *Non potest arbor mala bonos fructus producere.* Et rursus vers. 44. *Vnaquaque arbor de fructu suo cognoscitur.* Et rursus vers. 45. *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo, de malo thesauro profert malum.* Ex quibus omnibus perspicuum est, Plessenum, qui Religioni Euangelicæ addictus, præcipuo Imperij Principi Euangelico è fidis per plures annos officijs fuit, ac cum nemine hactenus sive sublimioris sive humilioris conditionis homine quidquã inimicitiarum aluit, gravissimas habere causas, ad animum revocandi, quod nunc primum inconsideratissima illa, contraque omnem honestatem sparsa falsissima inscriptione & famoso titulo bona ipsius existimatio læsa fuit. Quocirca etiam minime præteriri potest: sed æquissimo jure licet ac permissum est, ut in citatæ inscriptionis & frontispicij efformatores, quicunque illi tandem, sive Herbipoli, sive Aschaffenburgi, sive Moguntiaci, sive aliis in locis sint, omnia, quæ inibi de livido corde & mendaci Calvinistarum ore in contemtum & injuriam Domini Plesseni effutiuntur, publicè hîc retorqueantur, perque mendacissimum eorum jugulum tamdiu remittantur, donec Plessenum alius rei, quam quæ honestatis studiosum verbisque & promissis veracem Nobilem deceat, firmis rationibus convicerint: quod in æternum laboraturis illis nunquam licebit, &c.

Hoc loco illud quoque adhuc monendum est, à Compilatore Plessenum (p. 202) tanquam unum ex præcipuis consultoribus, instigatoribus & autoribus negotij Bohemici indigitari, iterumque p. 37, in secundo membro, ac si una cum D. Camerario alijsve, quamplurimos in Vnionis fœdus implicare studuerit, publica insimulatione onerari. Quibus respondetur, Plesseno nullam in hisce directionem, neque eundem impulsorem exstitisse, quum nunquam tracta-

tionibus cum Bohemiæ statibus & Sabaudo adhibitus fuerit. Nec etiam cum Rege Waldsaxiom, Pragam, aut in Moraviam, Silesiamve ad homagii præstationem profectus, sed secundum subjectissimam petitionem suam per integram hyemem ad Majum usque anni 1620. Heidelbergæ relictus, ac tum demum Pragam accersitus fuit. Quæ non ideo recensentur, ut illi qui in Bohemia & Silesia Regi adfuerunt, aut eo Dominum concomitati sunt, gravventur, quum & illi ipsi, ut superius deductum, facile bonis omnibus se sint probaturi, sed quod hæc circa Plessem personam in ipso facto & rei veritate ita contigerint. Quin quod etiam paucis Unitorum conventibus, uti notum est, Plessenus interfuit, neque unquam, sive solus, sive una cum D. Camerario alsive, ut quemquam ad nomen Unioni dandum persuaderet, adhibitus fuit: quamquam Unio res per se licita, nec à Rodolpho, nec à Matthia Impp. improbata fuerit. Adeo ut in hoc quoque articulo Compilator Plesseno gravem injuriam faciat, quum ob implicationem illam stilo acutiori insontem perfodit. In dicta Epistola p. 107. Anhaltinum Principem Compilator ex mero affectu & rancore pungit. Nam & hæc verba: Bavariæ Ducem ad proprium suam securitatem, populorum, dominiorum, proventuumque suarum conservationem respicere; (quod sane providi ac prudentis principis est encomium) sine reprehensione transmittere non potest, addita insuper hac mordaci parenthesi: (*Anhaltinus & illius affecla vero ad peregrinas Provincias & regna.*) Verum & Princeps Anhaltinus suo tempore contra illas calumnias defensionem paratam habebit. Et nos nihilominus obiter & in transitu intactum relinquere non possumus: durante illo quondam contra Truchsesium Coloniensi bello, hoc imprimis Monachii rum actum fuisse, quo præcipua quædam loca, & antiquæ Archiepiscopatus Coloniensis pertinentiæ Domui Bavaricæ appropriari & in perpetuum incorporari possent. An vero hoc ipsum ad alienas provincias animum adjicere non sit, an idem fundationi, legibus & privilegiis dicti Episcopatus & Ordinum Provincialium Coloniensium sit consentaneum, quilibet, qui affectu caret, judicet. Ac novit simul Compilator, illa quæ modo relata sunt, Bavaricis Originalibus autographis in authentica forma comprobari posse.

CAP.

CAP. VIII.

Electorem Palatinum cum Bohemis & Confæderatis alijs mediante Principe Transsylvaniæ Turcarum Imperatori tributarios sese reddere, eundemque in Imperium Romanum attrahere voluisse.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

VT paucis ad falsam hanc accusationem respondeatur, Lector, quæso, quo de ipsa rei veritate certior fiat, Instructionem perlustret, quæ Iohanni à Cöllen, Regis, Statuum Bohemicorum, Incorporatarum & Confœderatarum Provinciarum Constantinopolim legato, data fuit. In illa nihil reperiet de tributo ullo, nihil quod in Romani Imperij perniciem vergat, aut quod rationi & consuetudini, quam cæterorum Regum & Principum Christianorum Legati ad portam Othomannicam sequi solent, contrarium sit. Et Instructionis quidem illius formulam in fine libelli, qui proscriptionis speculum inscribitur, inter additamenta inspicere licet, N°. 18. Ac lector quidem, quam omni omnino fundamento destituta sit hæc accusatio, vel manibus, quod aiunt, palpare potest, si articulos Confœderationis, inter Principem Transsylvaniæ ab una & Bohemos ac consortes ab altera parte initæ, publicè protestantes, percurrerit. In illis enim inveniet, jam dicto Principi à Bohemicis, Moravicis, & Silesiacis Ordinibus ultra consueta subsidia adhuc 50000. thalerorum millia in supplementum pro tuendis & defendendis contra Turcas in Vngaricis finibus erectis propugnaculis promissa fuisse. Hoc igitur pacto an Turcæ in Romanum Imperium attrahantur, cujusque liberum esto judicium. Eadem falsitate illa quoque Compilatoris narratio de Principe Iuniore, Stephano Bethlen ab Iktar, Principis Transsylvaniæ Patrueli, nititur, cujus particula decerpta est ex scheda illa nugatoria, quæ sub titulo Veredarij publicis typis divulgata fuit. Iunior quippe ille Princeps duodecim tunc annorum, duobus tantum cum Præceptoribus, tribus vel quatuor ad summum ministris, qui

plætique

plærique studiosi Theologiæ erant, Heidelbergam missus est, ubi temporis aliquantum moraretur, inde in Galliam & Italiam profecturus, sicuti etiam ad illud iter jam omnia præparata fuerant. Ast vero Politica negotia illa, vel Correspondentiam per eundem, cujus ætas minor erat, quam ut tantis rebus esset idonea, vel per ministros, quos ab iisdem contraria professio avocabat, fuisse tractata, simpliciter negatur, ac proinde Compilatori probandi onus incumbit. Parem fidem meretur narratio, quod idem ille Princeps Francofurtum una iverit, ibidemque Consiliis Electionem concernentibus ab Archipalatinis Consiliariis fuerit adhibitus. Siquidem illi, apud quos Archipalatini divertebantur, honesti insuper, qui iisdem aderant nobiles, aliique ἀξιόπιστοι plures, testimonium præbere possunt, juniorem illum Principem in diversorio Archipalatino nunquam visum, Francofurti ultra biduum non substitisse, sed simul ac ad reverentiam Majestati Cæsareæ exhibendam fuisset admissus, Marpurgum, lustrandæ illius Universitatis ergo, discessisse.

CAP. IX.

Solide demonstratum esse, in Bohemia non Religionis, sed Regionis negotium actum fuisse.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

PAgina 32. versu: *In massen eben*, &c. in secundo membro principali, eadem fere verba reperias. Verum scire avemus, quomodo, quando, aut de quo, hoc ex fundamento demonstratum sit. Nam in Bavarico-Anhaltina Cancellaria nulla talis demonstratio fundamentalis reperitur; sed contrarium potius. Et rei veritas ex sequentibus patescit. Primo, quod quatuor articulorum à Duce Bavariæ Herbipoli Romano-Catholicis an. 1620 congregatis statibus ad deliberandum propositorum, primum illum fuisse, fidelis relatio memorarit, Cum metuendum sit, ne Regno Bohemico Catholicis erepto tota Romano-Catholicorum in imperio res ingens decrementum & detrimentum acceptura esset, an, qui, quove pacto aut quousque Bohemici negotii cura Catholicis sit suscipienda? Quod in literis

teris etiam D. Wilhelmi Iocheri, quas eodem tempore ad D. Camerarium dedit, aliquatenus innuitur. Unde evidentissimum est, Romanensibus hunc finem semper fuisse propositum, ac etiamnum propositum esse, quomodo religionem suam in Bohemia, Bohemiam verò in obedientia sedis Romanæ retineant, atque illos hic omnino religionem spectasse; Causa vero justa an injusta esset, nullam unquam in considerationem venisse. Quod si secundo de Religione in Bohemia non agitur, quamobrem igitur tantæ reformationes & mutationes exinde à clade Pragensi susceptæ sunt? cur tot ejecti in exsilium ministri? cur tot templa occlusa fuerunt? Neque replicatione illa, pauculos tantum ministros Hussiticos, non tam intuitu Religionis, quam quod recentis seditionis participes se reddiderint, novamque Electionem promoverint, exire jussos, quidquam proficitur. Nam contra illam expedita est per interrogationem responsio: Et quid ergo obedientes & tranquilli Lutherani commiserunt culpæ, quod Pragæ & alibi templa & scholæ illorum occlusæ, Ministri in exsilium acti sunt? Quorsum tertio, si de Religione in Bohemia actum non est, Matthias Cæsar in litteris ad Comitem Buequojum illa expressè exarari jussit; Comes omni festinatione è Belgio solveret, exercitum penes se sub signis moranti adesset, per hoc de Religione Catholica & domo Austriaca quam optimè meriturum? Quæ literæ typis excusæ in omnium sunt manibus. Quid quod quarto, si de Religione in Bohemia actum non est, Pater Sabinus Cappucinus, Concionator Aulicus Viennensis in Concione, quam de prælio & victoria Pragensi habuit, gratulatoria, summum Magistratum exhortatur, ut præter cæteras Bohemis inferendas pœnas, litteras Majestatis eripiat, ac frustillatim discerpat? Prorsus ut nuda verba ad probationem illius theseos, in Bohemia de Religione actum non esse, minimè sufficiant. Tandem an de Religione in negotio Bohemico actum fuerit, vide porro, quæ hanc in rem scribit D. Matthias Hoë, adjecta inferius, N° 5to.

F CAP.

CAP. X.

Non esse, quod Evangelici in Imperio Romano externum nescio quem dominatum, vim aliquam Papæ, Hispani, aut Romano Catholicorum timeant, sed eorundem sincerationibus, declarationibus, promissionibus de sacra-profana pace sarta tecta conservanda, securam fidem habere posse & debere.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

HÆc scilicet Compilator pluribus locis in Cancellaria sua venditat, nec res ipsa caret specioso prætextu; Ast Lector ex ambiguis illius verbis fallaciam & æquivocationem ut latentem in herba serpentem facilè deprehendet. Pag. 11. vers. *Darumb* &c. in primo membro hæc Compilator adserit, Nihil Romano-Catholicos quæsivisse, optasse, ac petijsse, quam ut res suas simulque S.R. Imperij Constitutiones, sanctamque sacro-profanam pacem conservare possent: quodque neminem Augustanam confessionem amplectentem statum in sua Provincia, jure & jurisdictione turbare, gravare, multo minus (quemadmodum igner quidam Consultores differuerint ac scripserint) exsilio mulctare, eundemque tam Provincijs, quam populis suis exsuere unquam in animum reduxerint. Sed hæc verba lector diligentius quæso ponderet. Primo dicit Catholicos nihil aliud, quam suum quærere, hoc est, Episcopatus illos, qui inde à pace religiosa reformati sunt, atque ab Euangelicis nunc Principibus sub titulo Episcoporum aut Administratorum possidentur, Episcopatum puta Magdeburgensem, Bremēsem, Mindensem, Osnabrugensem, Halberstadiensem, Weerdensem, Lubecensem, Ratzeburgensem, Schweinnensem, Caminensem, Hirsfeldensem &c. Hos illi Episcopatus suos esse ducunt, nullumque in eorum possessoribus jus aut jurisdictionem, immo ne nudam quidem detentionem agnoscunt, ut ex litteris trium Ecclesiasticorum Electorum prolixioribus ad vice-Cancellarium quōdam Imperij Stralendorfium datis (in puncto, Administratoris Magdeburgensis à Cæsare Matthia postulati protectorij vel conservatorij) liquet: in quibus

bus etiam sibi persuadent & confidant, Cæsaream Majestatem se, Ecclesiasticos, maximo hoc gravamine suo (sic enim formalia habent) quamprimum sublevaturam, hoc est, suis episcopatibus restituturam esse. Quin & modernus Coloniensis Elector ante annos aliquot ad Protestantem quendam Imperij Principem, qui hodieque superstes, expressè dixit, eo rem devenisse, ut Protestantes bona omnia Ecclesiastica (non distinguendo inter Archiepiscopatus, Episcopatus, & inter monasteria, aut alia bona Ecclesiastica, nec inter Electorem Saxoniæ aut reliquos Protestantes) restituere & Catholicis cedere, aut una cum liberis suis religionem Catholicam amplecti debeant. Sanè hæc declaratio Coloniensis nulla circuitione utitur, cum longè aliud ambigua Compilatoris nostri verba prima fronte inferant. Quamvis & horum per doctrinam æquivocationis facilis fortè sit conciliatio. Compilator nimirum, Catholicos, inquit, nihil aliud, quam quod suum esse censent, quodque de jure & ex constitutione pacis religiosæ ad illos pertinet, postulare; protestantes denique, in suis Provincijs pura, turbare nolle, Episcopatus autem Protestantium Provincias nequaquam esse, sed Catholicis pacis religiosæ tenore deberi, proindeque justè deposci, ut Coloniensis ajebat. Hujus itaque declaratio & Compilatoris nostri verba æquivocationis beneficio in effectu non dissentiunt. Igitur secum Protestantes, qui bona Ecclesiastica possident, perpendant, an Coloniensi claræ illi & rotundæ declarationi, an ambiguis tectisque Compilatoris verbis plus tribuendum sit.

Pag. 44. in secundo membro principali similes propemodum Compilator attexit æquivocationes, Catholicorum intentionem haut esse statibus Augustanæ Confessionis in Ditione & jurisdictione contumullum modum præscribendi. Non vero dicit, statibus illis Episcopatus Romano-Catholicos relicturos: sed illud potius: Modo & Catholicis sua (hoc est, ex ipsorum sensu, inferioris Saxoniæ Episcapatus, qui Romanensibus illis vigore pacis religiosæ debeantur) antiqua & laudabilis Imperij cōsuetudo, qua conservata floruerit semper Imperium (hoc est, quum plura in comitijs hi suffragia, & sine discrimine in omnibus justitiæ administrationem in toto Imperio in sua potestate habuerint) maneat incolumis, nec de uno post alterum controversia ipsis moveatur. Sed hæc postrema verba in Romano-Catholicos melius congruunt. Nam quis jam in Imperio Augustanæ confessioni addictus status restat, in cujus Provincijs non variæ per Monachos, Jesui-

tas, Capuccinos, aut alios Romanensis superstitionis Ordines, innovationes tententur, ea omnino intentione & scopo ut Augustanæ confessionis statuum hoc processu explorent patientiam, simul vero jurisdictionem Papalem, quam ipsa Pax religiosa expresse suspendit, per indirectum & rectè introducant, suoque pristino vigori restituant? Caveant itaque, caveant, & accuratè perpendant Augustanæ Confessionis status, quousque Bavaricæ huic sincerationi & declarationi fidendum: Ac inprimis judicent, num Dux Brunswicensis eo sit securus nomine, quo minus Coloniensis Elector prima quaque occasione sententiam in causa Episcopatus Hildesheimensis latam, quam eo fine Spiræ omnibus absolutam numeris adservari referunt, sive per legatum fratris sui Bavari, Comitem Tyllium, sive per proprium sub ductu Domini ab Anholt militantem exercitum, exsequuturus sit. Merito sane alios exsequutionis contra Marchionē Badensem peractæ terreant vestigia. Nam licet Marchio Georgius Fridericus filius, cui Pater omne penitus cesserat Regimen, obedientissimum se Cæsareæ Majestati exhibuerit, ab omni negotio bellico abstinuerit, cum Archi-Duce Leopoldo mutuam vicinitatis & correspondentiæ amicitiam coluerit: In superiore nihilominus Marchia contra eum hocce rerum statu exsequutiones præcipitatæ, nec quidquam obniti optimus Princeps hac suarum rerum conditione potuit, sola protestatione verbali violentiæ injustæ opposita. In hoc speculum intueantur, quos idem manet periculum, nec præposito Hildesheimensi, in suis cum correspondentibus suis in Saxonia inferiori molitionibus nimium indulgeant, sed tempestivè his artibus ipsi interdicant.

Quantum denique ad Papam, & quid ab illo statibus Augustanæ Confessionis vel metuendum vel non metuendum sit, satis notum est, non omnes Papas eodem in Lutheranos & Calvinistas, uti vocant, zelo abreptos fuisse. Quidam omni vi opprimi voluerunt hæreticos: è quorum numero Pius V. fuit. Alij per viam mitiorem & media moderatiora hæreticos convertendos censuerunt, in qua sententia fuerunt Gregorius XIII & Clemens VIII; & docuit experientia, hos ea ratione plus consequutos quam Pium V. Qui nunc in Pontificio solio sedet Papa, bonus & ad omnem moderationem plenissimus omnium semper habitus est judicio. Is etiam initio talis videbatur, ut qui nomine & re Pater communis audiri vellet, à partibus alienus, & qui factionibus inter Gallum & Hispanos se immiscere nollet. Quod quum animadverte-

adverterent Hispani, ex hoc tranquillitatis portu facilè illum in altum abripuerint, proposito inter Principem de Venosa ditissimam puellam & fratris ejus filium (quem vulgo Comitem Nicolaum nominant, 11. vel 12. circiter annorum puerum) matrimonio, quo bonum Papam prorsus in suas partes pertraxerunt. Sed quum metuat senecio, ne ab Hispanis, tempus lucraturis, detineatur (sic enim Paulum V, cujus nepoti eandem Principem, quæ centum millia coronatorum in annuis redditibus numerat, promiserant, varias dilationes morasque quæsitas nectendo, ad mortem usque circumegerunt) Hispanos, ut finem rei imponant, & sponsam, quæ Neapoli in monasterio educatur, Romam mittant, instantius urget. An vero fidem ei servaturi Hispani, an senem illum corvum hiantem, ut prædecessorē delusuri sint, mox tempus ostendet. Quoniam igitur Papa in Hispanicas adeo partes propendet, quis eundem Hispanicis auxilijs fretum dubitet non omnibus modis cupere, ut Euangelicos in Imperio ad obedientiam sedis suæ Romanæ reducere possit? Quis ignorat, quanto cum fervore Regi Galliarum Roma inculcatum sit, ut Hugenotos debellaret, subjugaret? Adeo ut quum pacem in Gallijs sancitam Romæ relatum esset, Papa coram Legato Gallico, quem Commendatorem de Sillery vocant, gravem querelam instituerit, ac quam ægrè id ipsum ferret, pluribus demonstraverit. Insuper ex interceptis Italicis litteris jam vulgo notum est, quid Cardinalis Ludovisius, Papæ ex fratre nepos, de oppressione Electoris Palatini & translatione Electoratus in Bavarum scripserit, ex hoc fundamento, quod sic protestantium in Germania vires haut parum imminui, & progressu temporis cæteri paullatim in ordinem redigi possint.

Ex quibus sequitur, ut de Papæ hic voluntate minimè dubitandum est, sic necesedem vires deesse. Notus est Thesaurus in arce S. Angeli repositus: nota Pontificis inde ab initio Pontificatus prospera fortuna, quæ varijs accidentalibus, casualibus, & extraordinarijs redditibus tanta fuit, ut in aliquot auri myriadas excreverit. Jam Hispanos non est quod Compilator nobis Euangelicis in Imperio depingat, consilia eorum, actiones, ad Monarchiam tendentia desideria & molimina per totam Germaniam percrebuerunt: nec his immoran operæpretium est. Ex superius autem deductis Euangelicus Lector facile colligit, quam fragilis contra peregrinum dominatum cautio sit, ante deducta à Compilatore nostro, quam vocat, sinceratio. Nam me hercle Nuntius

tius Pontificius Viennæ in sua ad Patrem Hyacinthum 20. Octob. anno 1621 data Epistola nulla circuitione usus est, ut noster Compilator hic fagit, sed disertè ac rotundè expressit, quo in Imperio res evasuræ sint, *occupato videlicet Palatinatu nec Protestantes Hollandis, nec Hollandos Protestantibus succurrere posse: Hispanum tum Dominum ac patronum Belgij, Cæsarem vero Germaniæ futurum esse*. Certè nulla circuitione usus est. Nam hic Parallelum Nuntius instituit Regiminis sive Dominatus Hispanici in Belgio & Regiminis Cæsarei in Germania. Hic protestamur, de Cæsarea nos Majestate nihil sinistrè præsumturos, credituros potius, eidem Parallelum istud Caraffæ non probatum iri. Quia vero in libro hoc Bavarico tot summi Principes, tot boni viri, non de plebe, sed honestissimi, tam acerbè diffamantur ac accusantur, nec nobis pro libertate Germanica vitio verti posse confidimus, si, quod facimus, contra librum illum defendamus honorem innocentium, causæque justitiam toti Orbi manifestemus. Nunc ex superius positis Nuntij Caraffæ verbis, tale quis, si velit, elicere posset argumentum: Rex Hispaniarum in Belgio despoticè & jure hæreditario dominatur; Ergo & Imperium in Germania despoticum erit & hæreditarium. Ratio consequentiæ est, quia secundum Nuntium Caraffam hæc procedunt à pari & sunt parallela. Ast Cæsarei fortè Consiliarij & Ministri hoc Caraffæ axioma & illationem parum, si modo verum conjicimus, sunt probaturi: quod scilicet tempus declarabit &c. Porro Compilator, Non ita est, inquit, quod Protestantes sibi à Papa & violenta Papatus introductione metuant. Illius vero responsionis, quæ Verospio Nuncio Pontificis extraordinario Viennæ, Mense Feb. 1622. tradita est, Compositor expresse statim initio, Papam aliis rationibus perquam sanè arduis permotum à Cæsare flagitasse, *ut honorem, titulum atque dignitatem Electoralem proscripto Palatino jam ademptam, ad Religionem in Imperio stabiliendam in Sereniss. Bavariæ Ducem citra moram transferret*; addit deinde, *in eum ipsum scopum* (nempe ad Religionem Romanam in Imperio stabiliendam) *Imperialem quoque providentiam collimasse &c*. Qua vero ratione modoque Romano-Catholica Religio in Imperio stabiliri, hoc est, ulterius propagari potest, quam vel totali Euangelicorum statuum oppressione & subjugatione, aut per reductionem ad cultum & obedientiam sedis Romanæ: vel ad minimum, quando vi armata & metu incusso Protestantes eo rediguntur, ut bona Ecclesiastica omnia Romanensibus restituere cogantur? Et sanè responsi illius contextor longè

longè progreditur, dum adeo perspicue adserit, Cæsaream Majestatem *eundem prorsus cum Papa scopum habere*, quod ut non libenter credimus, ita autori illius responsi excusandum, si potest, relinquimus. Non minus quam Consiliarijs & scribis Cæsareis hoc onus incubit, quomodo illum locum interpretaturi sint, qui insertus est litteris Latinis ad D. Balthasarem de Zuniga scriptis, Et in quibus flosculi præcipui & axiomata è Schioppij Classico belli sacri depromti sunt. Verba loci hæc sunt: *Per Electoratus Palatini translationem in Bavariæ Ducem, Catholicam rem nimium augescere, &c.* Sanè augescente re Catholica, necesse est rem Euangelicam decrescere. Per quæ ipsa Compilatoris nostri jactata sinceratio prorsus corruit, quod Euangelicis nimirum à Papatu nihil periculi metuendum sit. Verum & illi & Compilator noster hanc litem inter se cōponant: si fortè æquivocationis beneficio elabi possint.

CAP. XI.

Cito admodum Vnionis ærarium decrevisse, ejusque res clam admodum vacillasse, sed ab Vnitis eas externa jactatione in immensum elatas fuisse.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

AD hanc thesin probandam Compilator Cancellariæ Heidelbergensis ad Plessenum Epistolam allegat p. 201. Passim etiam alibi unitorum egestatem perfodit. Immo Theonestus Cogmandolus (qui in hanc Cancellariam Bavaricam Commentarium contexere adgressus est, sed quem justus Justinopolitanus in Mysterio Iniquitatis pro merito excepit, solideque refutavit) Unitos omnino egenos & decoctores indigitare non erubuit. Primum itaque continuandos quotidiè sumtus bellicos Unitis graviores fuisse, quis justè miretur? Aut quis ille est, qui bellum pecuniæ barathrum esse ignoret? Præcipuus quidam Regis Galliarum Consiliarius apud Thuanum l. 49. Hist. *Raro quisquam*, inquit, *tam bene rationum suarum calculum init in bello gerendo, quin sumtus omnem prudentiam ac spem superent.* Nec hoc soli uniti experti sunt, ipsi potenti ac diviti admodum Hispaniarum Regi idem sæpius contigisse memi-

meminimus. Quin hoc ipso tempore tanta pecuniæ inopia laborat Hispania, Mediolanum & Neapolis, ut in statu Mediolanensi templa omnia auro, argento, aliove pretioso ornatu ad sustentationem militis spoliata, adeoque eo loci res fuerint, ut idem in Hispania & Regno Neapolitano suscipiendum esse dicatur. Quantum etiam argenti, rei tormentariæ, aliarumque rerum necessariarum Ligistis, Electori imprimis Moguntino & sedenis Rhenani socijs supersit, benignus Lector ex querula Electoris Moguntini ad Licentiati Rhelij Legati Bavarici propositionem responsione, litteris item ad Archi-Ducem Leopoldum datis (quæ utraque in repetito & auctiori Prodromo inveniet) cognoscere non gravabitur. Quod etiam illi toties jactati Monacenses Thesauri vel penitus omnino vel ad fundum usque jam exhausti sint, hoc sanè Epistolium Ducis Bavarici, de dato Monachij 9. Nov. 1621. ad Electorem Coloniensem, liquidissimè & in littera, quod ajunt, demonstrat, in quo rotunde fatetur, jam sua se oppignorare coactum fuisse. Hoc ipso tempore Dux Bavariæ à privatis civibus Norimbergæ pecuniam mutuo sumsit, particulatim & summis sanè exiguis. Similiter Episcopus Herbipolensis. Dudum enim coacervati ab Episcopo Julio aurei nummi disparuisse dicuntur. Ex quibus apparet, non habere Ligistas, quæ Unitis, quantum quidem pecuniæ & requisitorum belli abundantiam concernit, objiciant. Ac facilè quidem, si quis vellet Compilatoris aut Cognatidoli morem imitari, non minus scopticè & contemtim, ut illi de unitis solent, posset ligistis, maximè si de singulis individuis dicendum esset, egestatem exprobrare & penuriam. Sed hisce movendis quàvis causæ satis abundè esset, nunc supersedebitur.

CAP. XII.

Enarratio rationum ac causarum impellentium, quibus unitorum quisque suo loco, ut unioni se adsociaret, motus fuerit.

Pag. 1. 2. & seq. in secundo membro principali.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

AN uniti omnes & singuli has Bavarici scriptoris assertiones probaturi, nec virulentum aculeum sibi, etsi relinquatur toti posteritati infixum,

infixum, exemturi sint, ipsi videlicet habent quod apud se perpendant. Verum in genere & ad commune veritatis patrocinium Lector celandus haut est, Unitis prorsus evenire, quod illo Livij dicto proditum est: *Communis metus optimum Concordiæ vinculum.* Communis quippe metus & commune periculum coïre illos coëgit, quum aliud nullum superesset medium, cursum & impetum Bavaricæ exsequutionis, quæ auspicatū adeo Donawerdæ principium nacta fuerat, infringendi. Hinc Monachij Elector Palatinus & Unitorum nonnulli alij in tantum odium incurrerunt, quod Bavarici censuerunt, hunc, ut ita dicamus, syncretismum & conjunctionem ab illis præcipuè diligentius promotam fuisse.

Ac si res rectè perpendatur, ipsi adeo Saxoniæ inferioris & plures Evangelici status alij Unitis acceptum tulerunt, quod à quindecim hactenus & pluribus annis quiete & securitate aliqua ipsis frui concessum fuerit. Nam Romano-Catholici contra Unitos, tanquam proximos tela sua & consilia direxerunt. Quare & in Provincijs Germaniæ superioribus, ubi Pontificij ad Danubium, Rhenum, Mœnum, Mosellam, cunctas vires suas in propinquo habuerunt, res primum in nervum eropit, & ad arma pervenit: præteritis vel sepositis potius utriusque Saxoniæ statibus. Nunc enim postquam Ligistæ & Hispani Palatinatu potiti, etiam Rheno à Basilea Vesaliam usque incumbunt, firmatis præsidio militari commodioribus locis, etiam ad Salam, Vesurgim, & Albim signa sua derigere incipiunt.

CAP. XIII.

Spiritum Calvinionum, consortis impatientem, ubivis rerum potiri & dominari velle, omnis diffidentiæ, turbæ, & seditionis motorem ac impulsorem esse.

Pag. 7. 8. 9. & seq. in 2. membro princ.

INFORMATIO ET RESPONSIO.

PRimo, per totam Cancellariam Bavarico-Anhaltinam, præsertim in secundo membro principali, complures viros in Imperio honestissimos,

stissimos, qui ore & corde Augustanam Confessionem amplectuntur, sub odiosissimo Calvinistarum nomine Compilator quam maximè gravat. Secundò Unitos omnes Calvinistas vocat, deque ejus judicio Comes quoque Hohenloëcensis Calvinista est. Tertiò Compilatori Calvinistæ ij omnes sunt, quotquot Episcopatus aut bona Ecclesiastica inde à constitutione pacis religiosæ acquisiverunt, aut per Lutheranos capitulares Episcopi & Administratores electi aut postulati sunt. Quartò omnes, qui multitudinem suffragiorum in Comitijs, sive in pecuniarijs, sive in Religionis negotijs indistinctè non admittunt. Quintò omnes, qui de administratione justitiæ tam in Aula Imperiali, quam judicio Cameræ conqueruntur. Sextò omnes, qui de libertate Imperij & statuum à majoribus acquisita quidquam in Comitijs aut alijs conventibus monere, aut proponere audent. Septimò omnes, qui Mundi cursum, quæque extra Imperium, veluti in Italia, Constantinopoli & Hungaria aguntur, cognoscere student, ne omnia scilicet fide implicita, uti loquuntur, credere cogantur, quæ illis in Comitijs alijsque conventibus à nonnullis tantum non magistraliter præcipiuntur, inculcantur, persuadentur. Et hoc quidem nomine potissimum Palatinis succensent, & Compilator quidem ipsis hanc sollicitudinem pro gravi excessu & enormi crimine exprobrat, quod quandoq; de rebus in Italia alibique occurrentibus certiorem relationem & notitiam consequuti fuerint. Quod eo mirum est magis, quum constet, Ducem etiam Bavariæ suos habere emissarios, & crebras relationes, maximè ex Anglia per Anglos, tam Monachij, quam alibi commorantes. Satis quippe ex Panegytico Urbani Freidenreich videre est, Duci Bavariæ, quam exigua Bohemici negotij bellici cura in Anglia futura esset, longè fuisse exploratissimum, ut expeditionis suæ in Austriam superiorem, posteaque in Bohemiam, rationes melius inire potuerit. Idem in Epistola Ducis Bavariæ ad patrem Richardum Blondum Anglum Jesuitam vel ad litteram legitur. Ejus sub finem hæc sunt verba: *Interim R. V. pergat nos de ijs certiores facere, quorum notitiam censet ad Religionis Ecclesiæ Catholicæ bonum tuendum promovendumque conducere Sic enim & nobis pergratum faciet, & mercede dignum præstabit Deo officium &c. Ex Novoforo in superiori Palatinatu 20. Octob. 1621. R. V. addictus Maximilianus.* Informatio, quam Dux Bavariæ ab hoc Vice-Provinciali Angliæ petit, non profectò est de rebus scholasticis aut Anglicis Jesuitarum collegijs & seminarijs (de quibus Rector propriè societatis Monachiensis certior

tior reddendus) sed eo directa, ut intentio Magnæ Britanniæ Regis & inclinatio ad defensionem reliquæ in inferiori Palatinatu portionis exploretur, ut secundũ illam, tanquam ad cynosuram, Dux Bavariæ in occupatione eiusdem Palatinatus eo citius progredi possit. Hæc enim per Jesuitas Anglos omnium optimè cognoscuntur, qui si illi manè norint, quæ vesperi in secretiori Regis cubiculo peraguntur, norint, inquam, non tantum quæ agat Rex, sed & quid acturus sit. Unde etiam Romæ degentes Angli Jesuitæ suas, quas singulis septimanis ex Anglia accipiunt, litteras ipsi Papæ offerre solent, sicut Romæ secretissima quæque ex Anglia hac ratione adeo comperta sint, ut ne tuo non obstupescat.

Quum itaque Bavariæ Dux, & ipse Papa, eo quem diximus modo cuncta Regis Britanniarum, aliorumque procul dubio Euangelicorum principum, secreta tantopere explorare laborent, eequa fronte Compilator Palatinis aliisque tantoperé exprobrare, & pro delicto contra Imperium perpetrato imputare potest, quod ipsi quoq, rerum, quæ in mundo geruntur, notitiam aliquam consequi studuerunt? Post hæc videre volupe est, ut Compilator pag. 20. & seqq. calore disputandi & ferventi contra Calvinistas odio se abripi patiatur, tantum ut Electorem Palatinum aliosque gravet, illisque tribuat quæ ne per somnium in mentem venerunt, sed quæ omnia ab exteris eorumque ministris zelotis Romano-Catholicis contra Imperium originem ceperunt, acta & peracta fuerunt. Nam motus illi, ad perniciem communem conflatæ in Rhætia turbæ, per Papam Paulum V, odio & vindictæ in Venetos studio, & ut ex illis horum interitus acceleretur, concitatæ, postea à Ministris Hispanicis continuatæ, & demum in præsentes hasce extremitates deducti sunt. Nuperum sanè in Galliis intestinum & civile bellum Protestantes non inchoarunt, sed in novo Consilio Conscientiæ Parisiis illud decretum, Roma persuasum & subministrato fomento accensum est, quod notorium in tota Gallia, ac voto insuper cuiusdam Jesuitæ, quod in Consilio protulit, probari potest. Cur vero Regis Galliarum à matre dissensionem Calvinistis attribuit, & ex eo obliquè Unitos pungit gravatque? Pueri qui in Galliis in plateis discursitant, originem dissensionis illius decantant, odium nimirum, æmulationem & diffidentiam inter Reginam viduam, huicque adhærentes, ac inter dominum de Luines & huius asseclas. Quid rei Calvinistis cum bello in foro Julii gesto, quod sequela fuit litigij propter Vscochos

cochos inter Austriacos & Venetos exorti? An Connestablus Ledigemus bellum Montisferratense promoverit, non usq; adeo compertum est. Ipse sicubi opus se defensurus est. Uniti, utpote non sollicitati, nec suasere illud nec dissuasere. Qua de causa & qua occasione Sabaudiæ Duci ad conscriptionem peditatus Germanici gratificatum fuerit, superius primo capite deductum est.

Pag. 21. in secundo membro adfirmat, de Zwinglio-Calvinistarum Helvetiorum ope & accessu ne dubitatum quidem fuisse. Quam hic rem acu tetigerit, docuit experientia. Pagi quippe Helvetici Unitis ne unicum quidem militem misere unquam. Pag. 23. in secundo membro dicit, Calvinianum Spiritum Bohemos docuisse primum admovere arietem, utque de fenestra proceres præcipitando, sclopos hostiliter exonerando, & ad arma conclamando, telam illam ordirentur. Responsio: Hæc fundamenti omnis & rationis sunt expertia. Illa enim præcipitatione per fenestram præmeditati nihil factum est: Sed certũ, tum quum Bohemi in conclavi captandis consiliis destinato Directores & Officiarios regni adirent, talem processum ab iis minimè fuisse decretum, sed directorũ, Martinizij præsertim minas spirantia verba, indignitatẽ rei, iustissimum dolorem, patientiam sæpius læsam, & primos motus, (qui secundum Philosophos non sunt in nostra potestate) illos abripuisse. Quo ergo pacto Bohemi ab Unitis & Calvinistis ad hæc, ut Compilator adfirmat, instituti instigatique fuerunt? Pag. 37. in 2. membro, ut & aliis libri in locis, Compilator civitatibus Unitis cauda vulpina blanditur, demonstraturus, maiorem Unionis molem & onus illis solis propemodum incubuisse, adeoque leoninam quasi societatem cum illis status superiores coluisse. Sed illi scilicet, quod iis, qui in aliena Republ. volunt esse curiosi, oculati & acuti, evenit. Licet enim ipsas Unionis rationes manibus teneat, illas tamen non satis intelligit, nec adsequitur, quæ ratio fuerit unius alteriusve ærarii, quæ diversa erant Normbergæ & Heidelbergæ, sed gravissime impingit, ut Lector pluribus videbit ex Mysterio iniquitatis justi Justinopolitani consid. xxi. Melius sanè civitates nosse debebat, nec usque adeo simplices putare, quibus tam parum insit mentis, ut in rationibus pecuniariis se defraudari patiantur. Pag. 6. in 2. membro, carpit Compilator Unitos propter auxilia in causa Juliacensi præstita. Quod quidem omisisset consultius. Vivunt enim hodieque complures superioris inferiorisq; subsellii homines, qui rebus illis interfuerunt, illarum-

que

que exactissimam habent notitiam. Unitorum intentio ex edito tunc publico scripto omnibus innotuit. Inopinatus, isq; clandestinus Archi-Ducis Leopoldi Juliacum adventus, urbis & propugnaculi primarii in tota regione occupatio, in Imperio & vicinis adeo suspecta erant, ut præter Unitos, Reges quoq; Galliæ & Magnæ Britanniæ, tum & potentissimi confœderati Belgii Ordines, sua haud parum interesse censentes, obligatos se esse judicarint, ut proximis hæredibus, qui ex privilegio Caroli V. fundatum liquidumque jus habebant, auxiliarem manum porrigerent. Ac norit Compilator, etiamnum protocollum in promtu esse, & exhiberi posse, quod in curia tunc Cæsaris Aulica collectum fuit; in quo votis consentientibus conclusum, Provincias Juliacenses Imperio apertas ac devolutas, Cæsarique jus esse ut illas sibi vindicaret. Scripsisse etiam Pragam tunc Dusselopagi residentem Cæsar s Commissarium Johannem Richardum à Schœnburg bellicum præfectum, serio monentem, ne vel ideo Provinciæ Juliacenses è manibus dimitterentur, quod omnibus illis, quæ Austriaci in Hungaria possideant, locupletiores melioresque longe sint. Ac hæc quidem ad informandum de auxilio Juliacensi Lectorem. Pag. 41. & seq. in secundo membro ait Compilator, nidum pro Hollandis Mulhemii in fraudem Coloniensium privilegiorum ædificatum fuisse. Sed hic egregiè dissimulat, quod Episcopus Spirensis insigne fortissimumque munimentum, quod ille ceu jugum Urbi Spirensi imposuit, cum summo urbis periculo & privilegiorum detrimento (nec ab ejusmodi ausis ullæ Episcopum Protestationes dimovere potuerunt) tum etiam non minus ad æmulationem Palatinatus Electoralis, & in præjudicium viæ Regiæ, in qua jus salvi conductus eidem competit, Udenhemii exstruxerit.

Pag. 42. in secundo membro vers. *Wan der Vnkosten* &c. promittit, si impensæ urbis Donawerdæ causa factæ restituãtur, compositam rem fore. Sed hoc nihil aliud est, quam hominibus illudere. Novit enim probè, sublimioris gradus Evangelicos status hanc sibi & posteritati suę contumeliam nunquam illaturos, ut has impensas restituant, præsertim quum notum sit, quomodo in quæstura Monachiensi ejusmodi in casibus subduci soleant rationes. Aliquatenus id idem olim experti sunt Ligistæ. Sed melius adhuc experientur, & caput procul dubio scabent, quando finales rationes inspexerint. Civitates quoque Imperiales hoc onus subterfugient. Hoc enim nihil aliud agerent, quam

ur suo jumento malum sibi accerserent, si Ducis Bavariæ loculos bello & impensis in acquisitionem Pilei Electoralis Palatini factis (ut ex allegatis ad Coloniensem litteris superius memoravimus) exhaustos, implere rursus satagerent, quo vice gratiarum actio tur proxima in omnes & singulas exsequutio possit esse expeditior. Interea tamen miseri illi urbis Euangelicæ Cives omni libertate, tam quo ad terrena bona quam libertate corporis & conscientiarum spoliati, ab hominibus omnibus derelicti permanent. Quid illis profuit publica Cæsaris Rudolphi Anno 1609. promulgata declaratio, qua extra proscriptionem, extra omnem inclementiam esse Donawerdam, ac in gratiam Cæsaris penitus receptam pronunciavit? Quid miseris cives intercessio illa ad Ducem Bavariæ juvit, quam illis Electorale Collegium, ac Ecclesiastici Electores ipsi (quo Saxoni & Euangelicorum oculis glaucoma obducerent) in Electorali conventu Norimbergæ anno 1611. impetruverunt, petentes ne cives Donawerdenses contra pacem religiosam gravarentur? οὐδὲ γρῦ. Quoniam Dux Bavariæ ex secretiori, quam cum Ecclesiasticis Electoribus habebat, tabula, probè norat, qualis litterarum penes Ecclesiasticos in puncto pacis religiosæ intellectus, quæ interpretatio esset. Sic æque ut prius in acerbissimo statu misera urbs relinquitur. Sperandum tamen, tandem illam, veritatem dicti experturam esse, *Quod quando duplicantur lateres, tunc venit Moses.* Prout nec dubium ullum est, deficiente omni auxilio humano, tandem tamen justitiam divinæ Nemesis suo tempore vindictam suam ostensuram esse.

Postquam nunc Compilator librum suum undique & undiq; mentione Calvinistici Spiritus implevit, eum etiam vivis, si Dis placet, coloribus depinxit, Lector fortè mirari posset, eccur Jesuiticus Spiritus, qui summum apud Romano-Catholicos honoris apicem obtinet, silentio prætermissus sit? Quapropter ne Jesuiticus Genius debito sibi testimonio & encomio fraudetur, Jesuitis coram viris doctis & gravibus (sic enim à Mariana in libro de Institutione Regis, Moguntiaci permissu superiorum impresso, appellitantur) nihil contra jus & æquum detrahatur; pauca etiam de Jesuitico illo Spiritu Lectori communicabimus. Jesuitæ post conclusionem & publicationem Concilii Tridentini, ut possessionem suam in Germania stabilirent, omnibus viribus laborarunt, ac quinquaginta & aliquot annorum spatio, inde videlicet ab anno 1563. adeo excrevit illorum societas, ut eorum in Germania & Belgio nunc ultra 2423. numerentur: sic testante ipso Adamo

Contzen

Contzen, Jesuita Moguntino, in disceptatione de secretis societatis Jesu. Quibus quidem promovendis haut parum tunc zelus Pij V. calidissimi fervidissimique Pontificis profuit. qui Ecclesiasticos in Imperio in ordinem redigere, ab Electoribus aliisque Episcopis institutionem Synodorum Diœcesanarum, introductionem & observationem Concilii Tridentini extorquere adgressus est. Verum aliquot ex dictis Electoribus aliisque Episcopis Germaniæ moram nectentes, singulari hic prudentia & moderatione (ad declinandam facilius Protestantium diffidentiam) usi sunt. Inter quos Daniel & Wolfgangus Moguntini Electores haut posteriores erant, qui non tantum in consiliis, præfecturis, ministeriis aulicis, sed circa personam propriam, inq; cubiculo privato Euangelicæ religioni addictos fovere non reformidarunt. Similiter & alii Episcopi & prælati eodem tempore Ministros Euangelicos sine omni conscientiæ scrupulo aluerunt, quod in tractu Rhenano, & Franconia notorium est &c. Ac tunc quidem temporis in conventibus collegialibus Circulorum aliisque inter quatuor Electores Rhenanos institutis amicè, tranquillè, prorsusque fideliter ultro citroque peracta sunt omnia. Quin Electores etiam Ecclesiastici cum Electore Palatino, Bipontino Duce, Hassiæ Landtgravio, aliisque finitimis Euangelicis, non habito Religionis respectu, bonam omnino vicinitatem & correspondentiæ coluere amicitiam. Cujus causa unica est, quod iidem Electores Ecclesiastici, consiliarii eorum, & administri, non è Jesuitarum ludo, sed priscorum candidorumque Germanorum prodierant. Nunc vero, quum à Romano-Catholicis, officiis omnib⁹, sive Ecclesiasticis sive secularibus, Jesuitarum discipuli adhibeantur, directio insuper in comitiis Circulorum aliisque conventibus, ut & domi in curia, foris in præfecturis provinciarū, illi hominum generi (qui à Jesuitis, à quibus etiam ad munera tanquam illorum creaturæ promoventur, dependent, ac exsequutionem Concilii Tridentini exstirpationemque Lutheranorum pectori infixam gerunt, ore licet aliud, quicquid velint, dicant) committitur, mirum non est, nullum omnino apud Electorem Moguntinum aliosve Euangelicum consiliarium, præfectum, Equirum ductorē, Cubicularium, aut alium ministrum, ut quondam, inveniri. Quæ quidem mutationes indeque erumpentes effectus, exacerbatis puta in Euangelicos animus, variæ innovationes, & ad jurisdictionem Papalem, pace religiosa suspensam, reducendam molitiones, cum similibus, Jesuitico

genio

genio & zelo jure meritoque acceptæ feruntur. Nec injuria defunctus Saxoniæ Elector occasionem inde dicendi arripuit; scire se velle, cum Catholicis antiquæ notæ, an vero cum Jesuita-Catholicis res sibi futura esset.

Hæc igitur sinceris merito Euangelicis omnibus, plurimis præsertim in Circulo superioris & inferioris Saxoniæ viris bonis & magnis, quibus Bavaro-Anhaltina Cancellaria in delitijs hactenus fuit, ansam præbere debent, ut oculos aperiant, seduloque præcaveant, ne dum nescio quæ Politica secreta deprehensuros se arbitrantur, secundum vetus verbum pro Thesauro carbones inveniant. Libri quippe istius, ut superius deduximus, unicus ille scopus est, ut Euangelicos, bonos alioquin viros, per varia Jesuitarum artificia, ac paralogismos seducat, & contra fidei Religionisque socios candidos bonosque patriæ cives modis omnibus concitet. Nunc ex istorum bonorum civium consilijs, quibus solus amor libertatis & dignitatis communis patriæ scaturiginem aperuit, Compilator atrocia ac publica delicta, contra Cæsares, contra Imperium, contra leges Imperij fabricat: sed sine omni ratione ac fundamento. Esto enim, intervenerit fortè aliquis excessus, admissusque sit aliquis error, notum tamen est, jura in ejusmodi casibus quemlibet ex levissima causa à dolo malo, sine quo talia delicta committi non possunt, excusare. Præterea promissiones, sincerationes & declarationes Romano-Catholicorum admodum fallaces & lubricæ sunt, ut ex superius dictis patuit. Nam & salvi conductus tabulæ, Wetteravicæ, Rhenanæ, Franciçæ nobilitati & alijs concessæ, pacta item conventa cum Comitissa Hanoviensi, alijsque Comitibus, transactiones denique, Ulmensis cum Unitis, Asschaffenburgensis cum civitatibus, Moguntina cum Marchione Anspacensi & Duce Wirtembergico, initæ, tam accuratè, scilicet, servantur, ut in nupero conventu Ratisbonensi Cæsarea Majestas à gravatis statibus & civitatibus corodianis querelis & continuis supplicationibus defatigata fuerit. In summa, quales exceptiones, quæque effugia contra Asschaffenburgensem transactionem allegentur, licet Lector videat in litteris Saxoniæ Electoris ad Moguntinum Electorem, & Ludovicum Hassiæ Landgravium 30 Octob. 1622. scriptis. Dux Bavariæ, ut omnes norunt, Ulmæ cum Unitis pacem pepigit, in illa Palatinatum expresse comprehendit, sub verbo fidei & honoris (quæ promissio juxta traditionem ICtorum corporali juramento æquipollet) pollicitus, Palatinatum nullatenus,

latenus, nec suis nec Pontificiæ Ligæ copijs aggressum iri. Nunc vero postea, quam contra sancta illa pacta conuenta, superiorem & inferiorem Palatinarum hostiliter adortus occupavit, hanc ferunt Monachij excusationem inventam: Cæsarem semper excipi aut exceptum intelligi, mutatam etiam inde à declaratione banni causæ conditionem esse. Sed quam frivola hæc inventio est? Nam Bavaricus ipse Cancellarius supremus in illo tractatu Ulmensi asseruit, ne quidem exceptionem locum habituram esse contra transactionem Ulmensem, id quod & Dux Angolesmensis & cæteri è Gallia Legati qui transactionis illius & arbitri & adjutotes fuerunt, testari poterunt. Quod si hoc effugium ad eludendam præmeditatam, tot clausulis bene munitam, omnibusque absolutam numeris transactionem, usurpatur: quid tandem sincera tionibus verbalibus & ambiguis declarationibus, ut Delphici instar gladij esse possint, fiet, quibus Romanensium libri, litteræ, & legatorum propositiones ad nauseam usque turgent? Quam facilè illæ per subauditos intellectus, & mentales reservationes ex doctrina Jesuitarum (quemadmodum Halæ olim Saxonum seniorem Landgravium junior Granvellanus fefellit) perverti, limitari, extendi & glossari possunt? Plura in hanc rem suppetunt exempla. Quum anno 1622 tempore hyberno omni intensione, Mansfeldicæ, Brunsuicenses & Bavaricæ copiæ conscriberentur, Euangelici simul principes aliquot & urbes in omnem eventum sibi ad sui defensionem de idoneo milite prospicerent, Bavariæ Dux nescio quid sibi mali præsagiens, supremum Cancellarium exemplo Stutgardiam ablegavit, perque eumdem Duci Wirtembergico sollicitè admodum & operosè proposuit, quanta esset, infausta arma deponendi, serioque de inducijs & pace cogitandi necessitas: se aliud nihil, quam æquam omnis desiderij compositionem in votis optatisque habere, proindeque à Duce Wirtembergico, ut hoc laudabile & salutare opus, quod posset, pro viribus promoveret, modis omnibus contendere. Ast quum, ut omnium rerum, præcipuè vero in bello, vicissitudo est, paulo post fortuna variasset, & Hispani ac Bavari in Palatinatu prævalerent cæteris, tum ilico altum Bavari de pace silentium. Immo in Italia, maxime Romę, molitiones priores vehementius repetitæ, atque à pontifice indesinenter efflagitatum, ut Ducem Bavariæ ad Electoratum veheret. Quum postea urbs quoque Heidelbergensis vili sanè modo in Generalis Tyllij potestatem venisset, Dux idem Bavariæ celeberrimam Bibliothecam Cardinali Ludovisio

H

dovisio dono misit, ad quam avehendam Leo natione Græcus (superintendens, ut referunt, bibliothecæ Vaticanę) delegatus fuit. Quo magnifico munere, Dux Bavariæ plus etiam favoris & promotionis ad Electoratum Palatinum à Collegio Cardinalium se impetraturum confidit. Interim Comes Tyllius Cæsareæ Majestatis Generalis, exercitus ejus Cæsareæ Majestatis exercitus audit, quamvis vix unicus miles sub ejus disciplina Cæsareæ Majestatis mereatur stipendia. In re potius veritate est & merito nominatur exercitus ille Ligistarum exercitus, quem hoc etiam nomine Hispaniarum Rex in recentibus ad Infantem litteris ita indigetat, dum inquit; *Las armas de la Liga Catholica, que se hallan en el Palatinado inferior hoc est, Exercitus Ligæ Catholicæ, qui est in Palatinatu Inferiori*. Magna adhuc in pluribus rebus apud Pontificios occurrit contrarietas, ingens inter verba eorum gestusque exteriores & inter interiores cogitationes, adfectiones, inclinationesque discrimen. Exempli causa: Ecquis ille est qui ignoret, quanto Elector Saxoniæ (si speciem externam moresque exteriores adspiciat) à Romano-Catholicis in honore & respectu habeatur? Sed quam contemtim de eodem Caraffa Nuntius Pontificius scribit in litteris 20. Octob. anno 1620. ad Episcopum Patras Nuntium Bruxellensem datis? Nimirum, *Che non è Principe di spirito, nè forze tali, che deva granfatto temerti di lui. Non esse Saxonem Principem magni animi, nec eius vires tales, ut multum illa extimescenda sint &c.* Nuntius ille, qui Electorem Saxoniæ nec præsens vidit, multo minus cum eodem umquam conversatus est, scribit, non è proprio cerebro, sed procul dubio accepta ab illis, qui Saxoniæ Electorem familiarius norunt, qui cum eo conversati, sæpius actiones ejus, potentiam, apparatum & nervum bellicum penitius perspexerũt. Qui vero illi sint, qui aliunde Dresdam sub specie magnæ amicitiæ & observantiæ, in effectu autem ad expiscandum & explorandum vel ablegantur, vel sibi ipsis aliquem itineris prætextum comminiscuntur, postea audita ijs in locis, unde Nuntio illa communicari certum est, referunt, nullibi melius, quam Dresdæ divinare licebit. Sanè ex his ipsis clarissimè perspicitur, quam mira judicia clam & secreto à Catholicis de Electore Saxoniæ, qui longe meliora de illis sperat, ferri soleant. Ac licet Compilator etiam noster in Cancellaria sua singularem admodum devotionem & Bavaricum cultum erga Electorem Saxoniæ ubique præ se ferat, diversa tamen ac contraria planè Principis ejus senioris Guilhelmi Ducis Bavarię professio est in litteris, quas ad filium suum

Episcopum

Episcopum Coloniensem 9. Nov. 1621. dedit, nimirum suo judicio Saxoni nimium bonoris & respectus tribuisse, prorsus ut animus & adfectio interna cum verbis minimè omnium conveniat. Sed bonus scilicet senex quodammodo nobis excusandus est, quum amor eum paternus erga primogenitum, Ducem Maximilianum, & impatientia tardioris progressus in negotio translationis (Electoralis nempe Palatinatus) ita abripuerit. Ubi tamen alia adhuc contrarietas, aut contradictio in sincerationibus Bavaricis notanda venit. Namque in Bavarica Apologia ad interceptas quasdam litteras adfirmat scriptor (id est, secundum opinionem multorum, Compilator Cancellariæ Bavaro-Anhaltinæ) Ducem Bavariæ in hisce turbis solum atq; unice bonum publicum pro scopo sibi proposuisse. Quantum vero privati, hoc est, pilei Electoralis Palatini desiderium & proprij interesse cura intervenerit, ex citatis litteris clarissimum est, in quibus impatientia adeo senem superat, ut eam ob causam Saxoni sit infensior. Quod idem ulterius ex litteris Nuntij Pontificij de dato Viennæ 20. Octob. anno 1622. patet, in quibus expresse habetur, Ducem Bavariæ ad Cæsaream Majestatem perscripsisse, totum Palatinatum superiorem in potestatem Cæsareæ Majestatis redactum à se esse, quare eo fidelissimi officij genere se promeritum, ut vicissim, quod sibi promissum esset (Electoratum intelligit) servaretur. Super hoc Cæsaream Majestatem vota consiliariorum collegisse, quæ uno ore (sic formalia habent) concluserint, omnino hoc æquum esse. Sic itaque quilibet perspicit, quam bella inter verba & sincerationes Romano-Catholicorum & inter cogitationes & pectora ipsorum sit harmonia & consensio.

Ex quibus omnibus hactenus enarratis, ipse Lector, ni abripiendum se affectibus dederit, facilè concludere potest, Compilatorem terminos in suo scripto longe excessisse, in eo potissimum, quum salutaria consilia illa, propositiones & tractatus, qui omnes tantum conservationem Religionis Euangelicæ & libertatis Imperij, & præcipuè Germaniæ, & denique ad amolitionem hæreditariæ successionis & servitutis, tanquam ad scopum principalem collimarunt, pro atrocissimis & publicis delictis contra Imperium commissis traducit. Igitur omnibus & singulis ab eo gravatis, cujuscunque status & conditionis sint, cuncta convenientia juris, & alia contra eum experiundi media publice hic reservata volumus. Pariter quoque prudentiores omnes & moderatiores, non parum, quantum conjicimus, mirabuntur, cur &

Compilator, Cogmandolus, Urbanus Freidenreich in Panegyrico, aliive, solum, quod infelicior rerum in Bohemia & Palatinatu Euangelicarum hactenus successus fuerit, tantos triumphos agant, tantas exultationes & jubila excitent, ac Electoralibus Palatinis consiliarijs, quasi minus prudenter res antea considerarint, omnem culpam imputent.

Primò enim quod res bellicas concernit, illarum inconstantem & lubricam esse faciem certum est, & ut axioma probatissimum habet, *Nusquam minus, quam in bello eventus respondere*. Sed ipsa belli particularia in specie, ejusque administrationem hic deducere longum nimis foret; Quin nec hujus, sed alius loci est. Rationes politicæ, quæ tam circa justitiam causæ quam circa possibilitatem considerandæ fuerunt, à pluribus eminentioris & inferioris status hominibus, tam Germanis, quam exteris adprobatæ sunt, ut vix dubium adhuc ullum restet, quin causa Bohemica communis Euangelicorum causa sit. Quod vero ijdem, qui defensionis partes in causa Bohemica susceperunt, scopum suum hactenus his proximis annis consequuti non sunt, quin parti etiam adversæ coacti cesserint, id tale profectò non est, unde firma conclusione possit elici, aut causam minus justam, aut consilijs imprudentioribus, imperitioribus, & improvidis male fuisse administratam. Firmæ enim adhuc manent veterum regulæ: *Non esse judicandum ex eventu*. Item, *Sæpe optime cogitata pessime cadere*. Paulus Foxius Henrici III. Galliarum Regis Consiliarius intimus, & ab experientia commendatissimus, prudenter admodum apud Thuanum lib. 49. Histor. *Vt res*, inquit, *humanæ, ac præcipue ea, quæ ad rem militarem spectant, ferè à fortuna dependent: sic sæpe evenit, ut quæ maturè deliberata sunt, haut feliciter cadant, contra ut temeraria consilia prosperos successus nanciscantur. quo fit, ut vulgus quod res successu potius quam ratione metitur, ex sinistro eventu prudentissimum consilium damnet, idem temere susceptum propter felicem exitum laudet*. Et infra: *Non diffiteor, justam causam plerumque dispares successus sequi*. Annon & alij Reges & Principes & imperatores bellici in suis olim consilijs & expeditionibus adversam quandoque fortunam experti sunt? Numquid memoria excidit, quam facile immanis illa & invincibilis classis Iberica ante paucos annos tempore Elisabethæ Reginæ Angliæ dissipata ac debellata fuerit? Quis vel tunc dixit, vel etiamnum dicere ausit, Consiliarios Hispanicos rem parum accuratè deliberasse atque ita culpam sustinuisse tanti accepti à Rege suo damni, eventumque præ-

stare

ſtare debuiſſe? An vero & illius zeli memoria exturbata eſt, quo Philippus II. ſenior Hiſpaniarum Rex ad Coronam Gallicam poſt mortem Regis Henrici III. adſpiravit, eo re jam deducta, ut Luteriam Pariſiorum ſuam urbem (*ſa bonne ville de Paris*) appellare non dubitarit? Nihilominus ille poſtea cum contemtu & contumelia, accedente inſuper multarum auri myriadum, quæ ad plurium Electoratuum emtionem ſuffeciſſent, jactura expulſus. Nec tamen rei culpam Hiſpanicis conſiliariis imputatam fuiſſe auditum eſt unquam. Nonne pari ratione ante aliquot annos Regi Poloniæ cum ſenatoribus Polonicis ex Suecia aufugiendum, regnumque à tergo, ut ajunt, in hunc diem relinquendum fuit? Quis tunc famoſos libellos, & paſquillos ſparſit, qui in cladem Bohemicam facti ſunt innumeri, aut quis Polonicos conſiliarios accuſatos & in contemtum propterea adductos unquam percepit? Denique annon Maximilianus Archi-Dux ipſe in Poloniæ Regem à quibuſdam proceribus electus paulo poſt à Polonis victus captuſque eſt? Quis paſquillis affixis illi inſultavit, atque afflicto afflictionem addidit? Recolenda hic ſanè eſſent, quæ Paulus Æmilius apud Livium Decade 5. lib. 5. monet: *Exemplum inſigne cernitis, inquit, mutationis rerum humanarum. Ideo in ſecundis rebus nihil in quemquam ſuperbè ac violenter conſulere decet, nec præſenti credere fortunæ, quum, quid veſper ferat, incertum ſit. Is demum vir erit, cuius animum nec proſpera flatu ſuo efferet, nec adverſa infringet.* Igitur ἐπιχαιρέκακοι illi merito conſiderare deberent; *Quod nondum omnium dierum ſol occidit*, ut Rex ille ait apud Livium: Et quod *quondam etiam victis redit in præcordia virtus.*

Verum ut ad principalem de Spiritu Jeſuitico articulum redeamus, hoc moniti reliquum eſt; Compilatorem quidem noſtrum in ſecundo membro principali varia Calviniſtis adfingere, ſed nihil illa, quanta quanta dicat, ad res geſtas Jeſuitarum comparata eſſe; quales à Thuano in Hiſtorijs, illo inprimis loco, ubi cauſas proſcriptionis patrum ſocietatis è Ditione Veneta enumerat, & ad poſteritatem tranſmittit. Quibus hanc nos novam additionem, è litteris ſenatus civitatis Rigæ in Livonia ad Ducem Chriſtophorum Radzivilium, Wittembergæ anno 1622. impreſſis depromtam adjiciemus: quod Jeſuitæ nimirum Univerſalis Romanæ Reformationis aliquem in Livonia progreſſum fieri negarint, antequam Riga ad modum deſolatarum civitatum vel oppidulorum Wolmar & Wenden devaſtata fuerit. Ex quo Jeſuitarum ſingularis in Germaniam affectus perſpicitur, *Vnum noris, omnes noris.*

noris. Non illos devastationes Provinciarum commovent, non clades publicæ, non miserorum subditorum interitus: quibus illud arridet: *Più tosto paese ruinato, che paese dannato: Desolata quam damnata provincia gratior est.* Hoc scilicet res ipsa in Gallijs, Germania, & Rhetia satis abundè oculis omnium subjicit. Perstringere Calvinistas pergit Compilator pag. 45. in toto membro, hac insimulatione, Imperatores, Electores, Principes, statusq; paci Religionis conformiter in mutua conjunctione vixisse, quoad Calvinistica novitas inciperet. Verum superius demonstratum est, innovationes & mutationes omnes solis Jesuitis unicè adscribendas esse.

Pro conclusione Calvinistas verbis, sed re ipsa Unitos, maximam immo Protestantium partem, qui Unioni nunquam nomen dederunt, quatuor insimulationibus onerat. Prima ad verbum hæc est: Spiritus Calvinianus modo Romanorum Imperatori debitum honorem, jus & autoritatem defert; mox ad externam tantum speciem & nudum nomen detorquet. Responsio: Compilator in generalibus hic immoratur, quæ simpliciter negantur. Quamprimum specialia allegare & probare conabitur, responsionem ut decet, relaturus est. Altera est: Modo auferri Cæsari, & Imperialis Cameræ judicio in paucis, mox in pluribus, & denique per consequentiam fere omnem jurisdictionem, in ijs causis, quæ inter utriusque Religionis status litigiosæ sunt. Responsio: Uniti neque Cæsareæ Majestati, neq; judicio Cameræ ullam jurisdictionem auferre nituntur; sibi illud neque jus fasque esse norunt; ipsi solum orant & postulant, ut juxta ipsam Cameræ ordinationẽ causarum & tribunalium discrimen integrum maneat, quæ ad Cameram pertinent, ibidem decidantur, non vero omnes, ut nunc fieri amat, causæ ad judicium Cæsaris aulicum trahantur. Quo sanè Cæsareæ Majestatis superioritati & jurisdictioni nequidquam decerpitur. Sententiæ quippe tam Spiræ, quam in aula Cæsaris, nomine Cæsareæ Majestatis promulgantur; nec à dicta Cameræ ordinatione, de qua inter Cæsaream Majestatem & status semel convenit, sine utriusque partis consensu vel latum unguem, quod ajunt, recedere licet. Ac summa oppido necessitas foret, in Comitiis Imperii tandem universi statibus articulum istum ritè proponi, ac matura deliberatione ab omnibus & singulis excuti, denique æquabiliter decidi. Tertia inculpatio est: Calvinistas vel Unitos modo in quibusdam causis certum judicem sibi deposcere, mox nullum prorsus admittere velle. Responsio. Uniti vel

vel Calvinistæ usque adeo barbari non sunt, ut vel ignorent, vel non agnoscant, quod nec Domus nec civitas, multo minus Imperium Romanum sine justitia stare possit. Judicem minimè omnium dedignantur, modo is competens, non suspectus aut inimicus, aut etiam apertus hostis sit. Compilator sodes talem illis judicem in Imperio Romano his temporibus & motibus ostendat. Ut per exempla fiamus certiores, Camerale judicium, quod est Spiræ, intueamur: ubi constat, Romano-Catholicos Adsessores omnes, præsertim præsides in ludo Jesuitarum institutos, eorundem discipulos esse, ab ijs axioma & præceptum Pij V. (quod apud Hieronymum Cathenam in vita Pij V. legitur) *Omnia religione metienda esse*, inde à teneris imbibisse. Principalis Cameræ directoris & judicis in Unitos & Protestantes alios affectio plusquam notoria est. Nec alia Consilij Cæsaris Aulici, eiusque præsidum ratio est. Ac licet nonnulli Adsessores Euangelici Spiræ unus etiam & alter fortè Consiliarii Protestantes in consilio Aulico Imperiali admittantur, illud tamen pro forma potius fit, quam ut ex eo aliquid Euangelicis boni in rei veritate accedat: quum in effectu autoritas, directio & administratio justitiæ in fautorum Jesuiticorum & discipulorum, qui omnia Religione metiri ex Pontificis præcepto tenentur, manu, potestate arbitrioque permaneant. Quis itaque protestantibus suaserit, ut coram talibus judicibus litigent? Quippe quum Zelotæ Romano-Catholici omnes, ex doctrina Pauli Windeckii, Ungersdorffi, Christiani Gotliebi, Schoppii, & aliorum, Protestantes pro talibus habeant, qui aura vitali indigni sint. Et qua tandem ratione conscientiæ suæ metuant, etiamsi contra Protestantem in processu cum Catholico judicent, eidemque facultates & fortunas, maximè vero controversam aliquam diœcesin Ecclesiasticam, aut decimas, aut Monasterium per sententiam auferant? Quum itaque naturali æquitati & sensui communi è diametro repugnet, cogere Protestantes, ut adeo suspectis judicibus Romano-Catholicis se condemnandos sistant: Idcirco Rex Galliarum suis subditis Protestantibus *Les Chambres my partie, iudicia bipartita*, in usq; utriusque Religionis confessores, Adsessores constituit, ut coram iis Protestantes tuto accipere jus & dare possint. Quin ipse Papa, intuitu Naturalis æquitatis, subditis suis in Comitatu Venaslinensi, quotquot Religionem reformatam profitentur, publico permissu in Gallica *Chambre my partie* Nemausensi, processus juris introducendi & prosequendi liberam facultatem dedit: ut apud

Thua-

Thuanum sub finem lib. *66.* legimus. Quo itaque iure aut colore status in Imperio Romano-Catholici liberis statibus Euangelicis, in quos nequicquam illis competit potestatis, ea denegabunt quæ Galliarum Rex hæreditariis, Papa vero sedis Romanæ subditis, naturalis æquitatis intuitu indulgēt & concedunt? In summa sive huc sive illuc res vertatur, nisi hic maior æqualitas, æquiusque inveniatur adhibeaturque temperamentum, fieri vix potest, ut quies & tranquillitas Imperij plantari denuo & sarta tecta conservari possit. Quarta denique incusatio hæc est: Calvinistas & Vnitos omnes, Religionis causas non in Cæsareæ aut Cameræ Imperialis iudicio cognosci, sed coram universis statibus eorumque deputatis pari utriusque partis numero amice componi velle. Responsio: Hæc est fallacia, nempe Compositionis & Divisionis. Nam lites privatas in causis pacificationem Religionis concernentibus cum publicis Protestantium Gravaminibus confundit. Lites enim privatas & particulares Uniti in iudicio Cameræ, aut consilio Aulico Imperii agitari libenter permittent, modo in utroque iudicio (in casibus ordinatione Cameræ cuique adscriptis) iudices non suspectos habere possint. At publica Protestantium Gravamina neutiquam in modum litis particularis per processum iudicialem, sed in universali Imperii conventu ritè & more maiorum tractandi & decidenda, aut, quod anno 1552. Passaviæ factum, amica transactione removenda sunt. Verba illa *amica transactione &c.* spina in oculis sunt Catholicorum, qui vel ad mentionem compositionis exspuunt: quod satis insolens & dictu mirum esse videtur. Lector enim in toto ubique Cancellaria Bavarico-Anhaltina reperiet, Unitos, præsertim Calvinistas, nullam pacem & tranquillitatē, solum bellum, seditionem, & turbas quæsivisse: Verum hic & in scriptis Romanensium *de turbato Imperij statu, & de famoso compositionis negotio*, Calvinistæ & Uniti eo taxantur nomine, quod setiam compositionem urgeant. Uter itaque pacis avidior est, is, qui amicam compositionem flagitat, an is qui respuit? Ipse etiam Compilator solum Spiritum Calvinisticum amice rem transigi velle hic adfirmat, quum tamen notum sit, omnes communiter & universaliter Protestantes compositionem eiusmodi efflagitare, ipsum etiam Electorem Saxoniæ Cæsari Matthiæ hanc ut promoveat scriptis litteris consuluisse. Has Romanistarum contrarietates denuo hic Lector animadvertat. Omnes vero Protestantes hic rursum commonitos volumus, ne Compilatoris illo libro sibi impo-

parari-

patiantur. Quicunque enim ex isto libro tantum se doctrinæ haurire posse sibi imaginatur, ut inde perfecti Politici laudem acquirat, næ ille experientia teste turpissimè se deceptum deprehendet.

In paragrapho ultimo, qui veluti Bavaricæ Cancellariæ Epilogus est, tanquam in fasciculo, Compilator subsequentes insimulationes comprehendit.

Primò; Spiritum Calvinisticum cunctis hominibus persuadere voluisse, ac si ejus actiones duntaxat ad convertendam Austriaco-Hispanicam Monarchiam directæ fuissent.

Secundò, Non aliud sub hoc ementito prætextu, quam S. R. I. ejusque laudatissimarum sanctionum subversionem quæsivisse.

Tertiò; Ut novum Calvinianum Regimen introduceret.

Quartò, Ut Calvinisticum ex asse, aut denique Turcicum dominatum atque tyrannidem institueret, & sacrosanctam Christianitatem Turcici Pharaonis hæreditarii nostri hostis faucibus ac servituti objiceret.

Ad quæ hæc subjicitur informatio & responsio.

Ad primam inculpationem respõdetur, Non negari, pauculos illos Unionis status, qui Religioni reformatæ se addixerunt, cum cæteris Unitis avitæ illius Imperii Romani libertatis conservationem fidelissimè cordi habuisse, pro viribus etiam externum Dominatum sive Monarchiam, ac quæcunque viam illi parare possent, convenientibus mediis impedire, & avertere omni studio laborasse. At vero eandem Unionem contra hunc vel illum indigenam externumve Principem in specie conceptam fuisse, hoc vero ipsius Unionis tabulæ, (quæ Monachii habentur) utpote his è diametro contrariæ, falsitatis convincunt. Ac impertinẽter quidem Compilator Austriacam & Hispanicam Monarchiam nominatim allegat, cum expeditum sit, sive Austriaci, sive Hispani, sive Galli, sive Poloni, sive finitimorum Regum & Principum quivis Dominatum & Monarchiam in Imperio affectent, tum communiter Unitos, tam Lutheranos, quam Reformatos universos, quin immo cunctos in Imperio Protestantes nemine excepto omnium illorum hæreditarium & absolutum Dominatum, nec discrimen ullum recusaturos, quo minus avitam libertatem vel cum fortunarum & vitæ jactura tueantur, & ad posteritatem transmittant.

Ad secundam Negatur omnino, & quidem publica cõtradictione, ex instinctu pauculorum Reformatorum Unitos, sive ipsos Reformatos

I

ros hoc molitos, ut Romanum Imperium eiusque sacratissimas sanctiones interverterent. Et quoniam in Cancellaria sua illud ipsum nulla omnino specie (iudicet candidus Lector) hactenus demonstravit, idcirco ulterior firmiorque probatio, ab ipso, si modo potest, exigitur.

Ad tertiam: Reformatos novum Calvinianum regimen inducere voluisse, nec probari nec præsumi potest. Ipsa siquidem Unionis formula in littera, ut dicitur (sicut supra 3. cap. indicatum fuit) evincit, illam nullo modo ad mutationes & novationes in Imperio excogitatam fuisse. Nec sanè vel credibile vel verisimile est, pauculos illos Reformatos contra ipsam Unionis sanctionem novum aliquod regimen inducere vel conatos vel conari ausos. Quippe sine consensu & auxilio reliquorum Unitorum contra expressam eorundem voluntatem, tale aliquid perficere ne potuissent quidem: Ut prætereatur, cunctos etiam reliquos Protestantes Germaniæ se illis oppositurоs fuisse. Omnibus itaque præsumtio pro reformatis militat, & onus probandi in Compilatorem reiicit. Ad hæc dicat nobis Compilator, novum illud Regimen Calvinianum an Monarchia, an Aristocratia, an Democratia, an Oligarchia esse debuerit? Certè, quidquid tandem nobis respondeat, se ipsum implicabit magis, & prorsus in labyrinthũ coniociet. Firmum enim & inconcussum manebit, quod Thuanus lib. 2. Hist. paulo post principium de Imperio Germanico scribit: *Ex his constat*, inquiens, *Respublica Germanorum, quæ sic ea ratione vocari potest, quod quamvis Imperator primum, dein reliqui Principes, ac postremo civitates liberæ suas quaque ditiones, jura, consuetudines, subditos, in quos ipsis jus vitæ & necis est, habeant: tamen, quia simul omnes Imperio subditi, & ipse Cæsar Imperij caput, Imperij legibus est obnoxius, universi Republicæ unius speciem exhibent.* Tale Imperium, Regimen, ac formam Reip. Uniti & Reformati in Imperio Romano agnoscunt: ast aliam vel novam formam eosdem introducere voluisse, Compilator probet, si potest.

Quartam denique inculpationem quod attinet, & illius cap. 8. superius meminimus, ubi eandem satis superque refutavimus. Verum enimvero, quũ Cõpilator versu sive §. præcedenti, *Beneben mit gesambten &c.* cantilenam veterem canens repetat, Calvinianum Spiritum cum Turca eiusque creatura, ut loquitur, consilia communicasse, ibidem auxiliares copias, suique protectionem quæsivisse, Comitem etiam Hohenlojum in Saxonica aula Turcarum ac Tartarorum inductionem

nem fuisse interminatum, hęc nobis omnino respondenda sunt. Primò, Non liquere, an & quatenus Comes Hohenlojus vel interminatus vel protestatus fuerit. Immo minime est dubitandum, Comitem illum, ubi opus, facti sui probè rationem redditurum esse. Secundò, certè Hohenlojus Calvinista non est. Tertiò, afflictissimi Palatinatus, tractus Rhenani, & Silesiæ incolæ discrimen sciunt nullum, sive de Tartarorum & Turcarum, sive de Cosaggorum & Croatarum inductione, quis protestetur: Quin credibile omnino est, illos vel ipsos Turcas, quam hos lubentius admissuros, utpote à quibus majorem sibi misericordiam & compassionem polliceri possint. Ut vero tandem fucum illum, quem hic Lectori Compilator facit, petitus detegamus, solideq; discutiamus, præcipuum instructionis, Johanni à Cœllen Constantinopolin datæ, (quæ in Additamentis Speculi proscriptionis No. 18. legitur, pariterque inter intercepta Acta Pragensia Monachij adservatur) articulum bona hic fide allegabimus, qui hic est: *Quapropter potentissimum Ottomannicum Imperatorem officiose rogatum volumus, ut nulla subsidia, nullamve opem, contra Regnum Bohemiæ & confederatas Provincias ferre, neque suorum militum, aut Tartarorum incursiones fieri permittere, sed bonam vicinitatem, amicitiam & pacem cum serenissimo Rege nostro & nobiscum Provincijs confederatis, quemadmodum cum prædictis Regiæ eius Majestatis socero, potentissimo Magnæ Britanniæ Rege, & avunculo fortissimo Principe Mauritio ac Provincijs Belgicis, exercere velit. Denique potentissimo Ottomannico Imperatori studia quoque nostra, officia, & bonam vicinitatem, iterato eo more, ijsque verborum phrasibus & encomijs, quibus Galliæ, Britanniæ, Belgici alijque Christianorum Regum & populorum Oratores uti solent, offeret &c.* Ex citato hoc loco liquet, quodnam petitum principale fuerit, qualisque annexa et oblatio. Primò petitum illud nihil nisi bonæ vicinitatis & amicitiæ fructum desiderat: de quæsito auxilio & protectione, de varijs agitatis extremis (quæ intercessisse Compilator scilicet dicto versiculo, omni destitutus ratione, adsent) ne syllabam quidem, ne dum verbum inibi invenias. Secundò illud petitum intendit, ne Turcarum Imperator opem contra Regnum Bohemiæ & confæderatas Provincias militarem adversarijs ferat, neque suorum militum aut Tartarorum contra Bohemos incursiones fieri permittat. Numquid vero non similia, Cæsar, Gallus, N. Starzerus, alijque Austriaci in terminis longè fortioribus Constantinopoli sollicitaverunt? Immo tentarunt potius, ut Turcas & Tartaros in Bohemorum cervices impellerent,

pellerent, variis mediis & ingentibus promissis. Hoc enim & Hungari & Bohemi publicè dicunt, & ad probandum se offerunt. Præterea Ordines Bohemiæ una cum confœderatis suis talem amicitiam, vicinitatem, & pacem cum Sultano Constantinopoli petiere, qualis eidem cum Rege Angliæ statibusque Belgicis intercedit. Quis vero unquam dicere & jactare ausus fuit, Regem illum & status Belgicos Sultani sese protectioni dedidisse? Oblatio denique illa, quæ Legato proponenda fuit, similiter tam in forma, quam in materia, Gallicorum, Anglicorum, Belgicorum, aliorumque Regum & Principum Christianorum Oratorum stylo prorsus congruit. Ex quibus luce meridiana clarius est, summam injuriam cum Electori Palatino, tum Ordinibus Bohemiæ horumque confœderatis (inter quos tamen pauci admodum Calviniani, ut odiose appellantur, & si cum Lutheranis illos conferas, decem centenis numero vix opponi queant) falso illo Pontificiorum nunc à Compilatore renovato de Turcis rumore factam fuisse.

Ac quomodo probaturus est unquam Compilator illam ultimam libri sui coronidem: Calvinianum Spiritum, sacrosanctam Christianitatem in capitalis & jurati Christianorum hostis fauces ac servitutem immittere identidem conatam? An vero Reformati Christiani non sunt? aut illos contra conscientiam, fidemq. Christianam, Mahometismum in Imperium Romanum & Patriam suam ex proposito & deliberato animo introducturos, præsumi potest? An tanti operis moli perficiundæ tantulæ vires & potentia pauculorum Reformatorum sufficiunt? An sensui communi congruum vel credibile istud est, liberos Romani Imperij Electores, Principes, Comites, status, se ipsos & patriam Ottomannico Imperio, quod nec subditorum discrimen ullum, nec Electores, Principes, Comites, Nobiles ullos agnoscit, sed omnes indifferenter pro Sultani mancipijs & mediastinis habet, se ultro subjecturos esse? Quis ille quæso est, qui talia absurda credere, præsumere, vel velit vel possit? Prorsus igitur totum onus probandi (ad quod autor Monitionis Bavaricæ publicè his provocatur) in cervicem illius incumbit. Age ergo intercepta illa Pragæ acta denuo audacter inspiciat, percurrat, perpendat: in arenam postea descendat. Tempus docebit illum non minus, quam Cardinalem Clœselium, turpiter se daturum esse. Quum enim annis abhinc aliquot à fide dignis relatum esset, dictum Cardinalem (tunc Episcopum) in sermonibus & discursibus suis familiaribus primum, post in scripto quodam con-

silio,

filio, illa item Epistola, qua rationes, quibus Matthias Imperator motus cum Turcarum Imperatore pacem fecerat, recenset, Unitos suspectæ alicujus arctæque cum Sultano Constantinopolitano correspondentiæ & collusionis insimulare, quosdam etiam Unitorum tantum non digito demonstrare conatum, bonus quidam vir & Civis hoc consilium fidelissimum suggessit, ne Clœselio in dictis criminationibus usque adeo vagari indulgeretur, hanc potius in rem ut compellaretur, simul ad specialia, ad probationes producendas, ut par est, adigeretur. Hoc adprobato consilio quidam ex Unitis Principibus ad Clœselium literas dedit, quorum quoad substantiam hic est sensus: Quum innotuerit, Clœselium sine rubore & dicere & scribere, Unitos vel eorum certè aliquos cum Turca correspondere, colludere, conspirare, hisce petit, & hoc etiam ipsi ut intimo Cæsaris consiliario incumbere, ut eorum nomen proferat, & probationes, quæ in eos paratæ essent, in conspectum & lucem producat. Nam hoc ipsum probè intelligere, siculo nullo prolato testimonio insimulationibus illis omni fundamento destitutis instare pergeret, non posse non status Unitos convenienti loco de injuria actionem instituere, contraque illum illis remediis uti, quæ his ad adserendam nominis, existimationis & reputationis suæ integritatem competerent. Verum bonus ille Episcopus quum metueret, ne vox sibi per jugulum recipienda esset, palinodiam quandam sine detrimento, quam probationem cum damno, potiorem ratus, dicto Principi non minus modestè quam moderatè ad hunc in effectu modum respondit: Sermones illos de Unitorum cum Sultano sive correspondentia sive intelligentia, nil nisi rumores & circumvolitantes sermones esse: Quapropter ne illos Uniti morarentur. Quam quidem particularitatem Lectori hic memorare, simul Informationis hujus nostræ ad præcipua Capita Cancellariæ Bavaricæ partem primam hoc illustri exemplo concludere placuit. Cætera, si quæ restant Informatione aut Responsione digna, in secunda parte, Divina favente clementia, pro meritis examinabuntur.

SEQVVNTVR
ADDITAMENTA.

N°. I.

Exemplum partis Epistolæ à quodam Catholico inter pacis negotium Bruxellas data, mense Iunio, 1622.

PAcis & belli rationes expendi accurata mentis trutina, utræ præponderent, bilance ferè in ancipiti. Ex illa parte Anglus instat, Danus urget, Saxo cum alijs intercedit: singulis gratificandum; Illi propter autoritatem & observantiam perpetuam in Cæsarem: isti propter importunam flagitationem: hisce propter officia & preces; universis propter gentis Austriacæ per orbem decantatam clementiam. Inserviendum quoque plerisque Germaniæ Catholicis, *qui viribus plane exhausti* bellique pertæsi dulcem pacem desiderant. Videtur hoc ipsum non invitus elargiturus sanctissimus Pontifex, modo ne indulgentius res geratur cum damno Ecclesiæ. Sed rursus ex hac parte, si scopus universus, reique eventus ponderetur, non tanti sunt ista ut existimem ab armis securè abstineri & pacem utilem sanciri posse, nisi in offensionum abolitione modus, venia, totaque restitutionis causa septemviratus in arbitrium Cęsaris rejiciatur, quum minus civile videatur, hostem prope perditum, & ad desperationem redactum, velle persequenti leges præscribere, cujus est præscriptis parere. Equidem admittas, ut Palatino pristina conditio & dignitas cum universa ditione impunè resignetur: quorsum, quæso, non tantum tot molestias, immensosq; sumtus hausisse proficit, verum simulatque hoc indulseris, ad veteres artes & res novas moliendas conversum videbis? Sic enim in omni historia observatum meminimus, nunquam in hoste reconciliato, civili præsertim & domestico, solidam fidem coaluisse, si scelerum & audaciæ impunitas fuerit; quod ne hic quidem fingere licet, quum versipellis Calvini genius se continere nesciat, & occasione duntaxat opus habeat ista

proge-

progenies ad turbas ciendas nata; tum scelera nuper reperta priscis verbis obtegere solent.

Quamobrem si eventus secun esse velimus, ista deprecationis & restitutionis forma urgenda: sin obluctari, quam accipere malit, ut omnis hinc pacis actio intercidat, ex eventu vis, & necessitas consiliis imponenda, & impetu tentandum, quod civili moderatione flecti non potuit.

Quod si res præter exspectationem recident, dicam liberè, quod sentio: *Totum hoc mysterium* (natura mysterium videtur) *profundum penetrans sic semper putavi, arcana lege Fatiurgeri res Catholicas, ut in tanta rerum recidiva*, ubi ad refrænandum factiosas partes occasio divinitus patet, *accipiant incrementum non vult* DEVS *moderata consilia exitum habere, vel unius Palatini ruina expleri: parem ultionem in similes refractarios postulat, inque plurium Ecclesiæ & Reipubl. vastatorum repressione, stabilimentum Imperij fides Catholicæ verti ostendit*.

Annon divinæ voluntatis signum oculatissimum tot victoriarum felicitas? Quas non nisi miraculosè partas, & cœlitus quasi delapsas credendum est: extremæ jam ingratitudinis esse, occasione divinitus monstrata & ad Numinis cultum proferendum patefacta, non revereri et uti: *Non unum Imperium duas religiones parili concordia alit*.

Præstat igitur *vel universos* belli causam expedire, quam singulis indulgenclo relinquere unde semper aliquid turbarum renasci & metui possit. Recole patrum memoriam, fidei præbituram exemplum. Etenim quum superiori tempestate Germania, bello civili diu multumque agitata, post pacem sancitam tandem ex vulnere inflicto vix coaluisset; ecce tumor in malignis membris sensim recollectus recrudescere, corpus, ipsumque caput denique infestare cœpit, nec nefas putatum, contra leges Imperij & pacis edicta sacram Remp. profano ausu invadere, bona Ecclesiastica occupare, expilare, & privatis libidinibus prostituere. Qua audacia? Vix ulla, quam quod D. Carolus Cæsar Turbatores clementius tractasset, itemque Ferdinandus frater majorem postea, ac par fuerat, laxitatem permisisset; si enovam semper injuriam invitat, qui veterem patientius habet, nec dignè ulciscitur. Satius igitur erit, præsentem ægritudinem paulo durius tractare &c. (omissa quædam) sed in hac tota actione *lentè progredi* convenit; extremus ictus iis intentandus, qui in noxa sunt comperti Palatinæ factionis vindices. Exinde eam partem corripere, & paulatim implicare interent, quæ belli occasione

ſione occurrit poſitu facilior, quo receſſo, civitates ſuperioris Germaniæ, à Cæſare præſidium recipere, militem alere, tum quoad Imperij Majeſtatem, tum quo ad propriam tutelam, jubeantur. Renitentes minis, vi, ad fidem & officium compellendæ. *Non deerit undique res prætextus & excuſatio:* Conſtat, publicis Cæſaris hoſtibus quoſdam munitionem, vires, pecuniam ſubminiſtraſſe: In adminiſtratione Reip. pleraſque ambitioſe verſatas, immodicis contributionibus æraria publica, & privata civium patrimonia ad vetitos uſus & factioſa fœdera exhauriendo. Ex hoc ad ulteriora opportune erunt tranſitus; præſides dandi, qui Cæſaris vicem obtinent, quorum autoritate & rogatione jura dicantur, ac reliquæ ordinentur cauſæ Reipublicæ.

Sic omnis ratio, ne in poſterum cum factioſis coire, & conſpirare audeant, præcavebitur. *Hiſce in ordinem redactis de cætero facile erit negotium.*

(Poſt hanc ſeriem alia prodit arcana exempla, quæ in longinquum concredere propalationis periculum diſſuadet.)

N°. II.

Capite quarto: verſu, *Idque vel hanc ob rationem &c.* Similis prorſus in terminis apud Livium Decad. 5. lib. 2. locus occurrit, ubi de tranſactione Regis Antiochi cum Romanis in hæc verba: *Si poſſeſſio haut ambiguæ regni maneret, multa diem tempuſque afferre poſſe, quibus non amiſſa modo recuperare, ſed timendum ultro iis eſſe, quos timeret, poſſet.*

N°. III.

Sub finem capitis VI, ubi Dominus de la Noüe & Livius allegantur, adhuc notabilis apud eundẽ Liviũ locus eſt Dec. 5. l. 2. *Cum jam,* inquit, *conſediſſet ferocia ab re bene geſta, auſi ſunt quidam amicorum conſilium* (ſc. Regi Antiocho) *dare, ut ſecunda fortuna in conditione honeſtæ pacis uteretur potius, quam ſpe vana evectus in caſum irrevocabilem ſe daret. Modum imponere ſecundis rebus, nec nimis credere ſerenitati præſentis fortunæ, prudentis hominis & merito felicis eſſe: neque finiri bellum magnificentius, quam a tam memorabili pugna, neque ſpem firmiorem pacis perpetuæ dari, quam quæ perculſos adverſo prælio Romanos molliores factura ſit ad paciſcendum.*

N°. IV.

N° IV.

Monsieur, j'ay apris de Charles, valet de chambre de S. A. Electorale, l'intelligence, qui est entre vous deux; ce qui me faict vous prier la vouloir continuer a tousiours, tant avec led. Charles, comme aussi avec moy, comme visants au mesme but, qui est le service du Roy Catholique, & de S. A. Electorale; nous donnant advis de tout ce, que vous jugerez pouvoir tendre a ceste fin- de mesme promets je de faire en tout ce, qui me sera possible. Pour a cestheure je ne vous sçaurois donner beaucoup de nouvelles en detail mais ouy bien en blocq, qui est, que les nostres aprés s'estre saisis de Spire, & y avoir intromise l'A. Serenissime de l'Archiduc Leopold, & mon Seigneur l'Evesque du lieu, sont allez assieger Germersheim, qui ne mettra gueres a faire joug. Wormes suivra le mesme train le bien tost, & ce sans y mettre siege, ny demy. Quand a Heidelberg, Manheim, & Franckenthal, l'en les aura touts sans coup frapper, tant ils sont despourveus de toutes choses necessaires, & mesme sans aucun espoir de secours, en maniere, qu'il leurs est impossible de tenir plus long temps sans se rendre Qui est cause, que nous serons en bien peu de temps maistres de tout le Palatinat, & ferons la loy, & la part, non seulement au Landsgrave, & à la denaltiere de Hanau, mais generalement a tout les Estats, & Princes limitrophes. Dont je m'estonne de ce, que l'Ambassadeur de l'Angleterre poursuit si chaudement la suspension d'armes a Brusselles, veu qu'il deburoit bien cognoistre, que c'est bien vouloir prendre la lune aux dents, & que jamais des gens clair-voyants aux affaires d'Estat ne conseilleront des si desavantageuses tresfues. I'attends avec impatience de voz nouvelles pour les envoyer a S. A. Electorale. Ie demeure Monsieur vostre tres affectionné a vous servir, &c.

Iean de Garzen, Seign. de Sintzig, Conseiller d'Estat, grãd Mareschall & Colonel de S. A. Elect. de Majence, &c.

Sequitur Epistolæ Sintzigianæ versio è Gallicâ Latina.

Domine, Intellexi ex Carolo, qui Serenissimo Electori à cubiculis est, mutuam vestram intelligentiam. Unde moveor, ut te orẽ, quo eandem sine intermissione continues, tam cum Carolo, quam me-

cum, tanquam ad unum collimantibus scopum, *servitium* puta *Regis Hispaniarum* & Electoris Serenissimi. Quapropter me de omnibus, quæ huic potissimum fini inservire judicas, velim informes: par pari, ubi & ubi potero, redditurum. Nunc nova, quæ tibi communicem, specialia non habeo: Sed tamen ista *generalia*; nostros nimirum (postquam Spiram subegerunt, ibidemque Serenissimum Archiducem Leopoldum, ut & dominum meum clementissimum, Episcopum loci, in solio locarunt) Germershemij obsidioni sese accinxisse, quod mox colla jugo subdere cogetur. Wormatia brevi in eodem choro conspicietur, nec obsidione quidem ibi opus erit. Heidelberga, Manhemium, & Franckenthalium absque ullo gladij ictu nostræ potestatis erunt. Tam malè enim ijs de rebus necessarijs est prospectum, tam illi omni succursus & auxilij spe orbati sunt, ut diutius sese, quin deditionem faciant, sustentare non possint. Hanc ob causam totius mox Palatinatus Domini erimus, leges præscripturi, & nostro arbitrio *ditiones* non tantum Landtgravij & Viduæ Comitis de Hanau, *sed finitimorum quoque omnium in universum Principum & statuum partituri.* Unde ardorem Anglici Legati admodum miror, quo ille Bruxellis inducias tantopere urget. Ipse nimirum intelligere deberet, hoc esse Lunam dentibus velle comprehendere; nec viros illos, qui negotia Regiminis altius & clarius perspexerunt, tam noxias inducias unquam esse suasuros. A vobis verò nova, quæ Electori Serenissimo mittam, ad impatientiam usque exspecto. Cæterùm Domine, ad serviendum tibi maneo longe inclinatissimus, 17. Augusti 1622.

Iohannes de Garzen, Dominus de Sintzig, Consiliarius Intimus, Supremus Mareschallus & Bellicus præfectus, Ser.mi Electoris Moguntini.

Inscriptio hæc erat: *Domino, Domino Gabrieli de Roy, nomine Catholicæ Hispaniarum Majestatis Coloniæ Agenti.*

Hanc Epistolam candidus Lector perpendat quæso: mira ibi profectò nec pauca offendet: longè majorem ad aggressionem & oppressionem multorum statuum Euangelicorum ardorem & resolutionem inve-

inveniet, quam qualem de Unitis contra Catholicos Ligistas ex Plesseni litteris de 27. Novemb. anno 1619. scriptis Compilator libenter, si posset, exsculpere & effingere vellet. Primùm ex hac præfecti Sintzigij, nunc Consiliarij Moguntini intimi (ante hac enim urbis Coloniæ per aliquot annos præfectus bellic' fuit) Epistola patet, Carolo illi, qui Moguntino à cubiculis, fidam admodum cum Agente Coloniæ Hispanico intercedere correspondentiam: & necessaria consequentia per hanc correspondentiam Moguntina plurima & consequenter Imperij Secreta Hispanis aperiri. Experientia siquidem docet, Cubicularios hoc sæculo Principũ suorum familiarissimos esse ministros, quos pauca secreta celare soleant. Secundo notatu perquàm dignum est supremi Mareschalli Moguntini hoc effatum: Se nimirum & Cubicularium Moguntinum ad eundem collimare scopum, *Servitium puta Regis Hispaniarum & Electoris Moguntini.* Dignum inquam, quod diligenter notetur. Nam Compilator simile paradoxum, quod alleget, ex interceptis actis omnibus invenire haut potuit, quod Palatinorum aut cæterorum unitorum Consiliariorum quisquam de se ipse professus sit, se simul ad Galliarum vel Britanniæ vel Sueciæ Regem non minus quam ad servitia sui Domini respicere: quanquam nihil causæ sit, cur contra hos Principes Imperium ejusque status, præsertim Evangelici, propter avitam libertatem suam tantum dubitationis concipiant, quantum contra Hispanum, cui tamen primarius hic Consiliarius & Officiarius Moguntinus, ac fidissimus itidem Cubicularius in summo devotionis & affectionis gradu, se obligatos esse agnoscunt. Ex quibus status Imperij, præsertim Evangelici, satis superque colligere possunt, quam bene scilicet Imperio prospectum, quamque egregie Religioni avitisque privilegiis suis, sub moderno Archi-Cancellario & supremo consiliorum ac Iustitiæ Imperij Directore cautum sit, cum ejus interesse & servitia cum Servitio Regis Hispaniarum tam arcto admodum vinculo sint copulata ac connexa. Tertio, nec illud, quo minus notetur, prætereundum est, quod tum temporis, quum suas, de quibus superius, litteras 27. Nov. 1619. Plessenus daret, nulla adhuc conventio aut transactio inter Vnitos & Ligistas intercesserit, sed utraque pars in armis & præparatorijs belli occupata fuerit. Ast vero quum suas Moguntinus Mareschallus exaravit, 17. videlicet Aug. 1622. adeoque toto biennio & semestri postea, jam in suo vigore erat Ulmensis primum transactio, dein Marchionis Spinolæ cum Vidua Hannoviense, Comitibus

Nassoviæ, Isenburgi, Solms, & aliis, conventio, tum Aschaffenburgensis cum civitatibus, ac denique Moguntina inter Spinolam & Unitos facta compositio. Hasce conventiones & transactiones Mareschallus ille Moguntinus ad instar vespæ alicujus grandioris, per telas aranearū ruentis, pervolat, prorsus ut commodissime de transactionibus Romano-Catholicorum illud, quod Anacharsis olim de legibus, dici queat, quod *telis aranearum similes* sint. Nos, ait ille, mox totius Palatinatus Domini erimus, leges præscripturi ex nostro arbitrio, *ditiones* nō tantum Landrgravij & Viduæ Comitis de Hanau, sed *finitimorum quoque omnium in universum Principum & Statuum partituri.* Debellatis igitur Landrgravio, Vidua Comitissa de Hanau, occupatoque penitus Palatinatu, quæritur hic, Ecquinam finitimi illi status, & Principes sint, cum quibus similiter rationes illi supputare satagent? Palatinatus vicinos Evangelicos istos habet: Palatinum Ducem Bipontinum, Palatinum Birckenfeldensem, Ducem Wirtembergicum, Marchiones Badenses, Anspacensem, Argentoratum, Heilbronnam, Hallam Suevorum, Vlmam, Rotenburgum, Norimbergam, urbes, &c. Landtgravius vero vicinos habet Duces Brunswicenses, Duces Saxoniæ Coburgensem & Vinariensem, &c. His omnibus & universis Moguntinus Mareschallus ex computo Iesuitarum rationes reddendas esse minatur, nullo loco dictis transactionibus & pactis relicto, quæ ille cum suis asseclis temporalia, quin unius omnia assis æstimat. Appendicem denique Epistolæ, quæ de legato Anglico qui Bruxellis fuit, deque inducijs attexta est, Anglici Consiliarij & Ministri, qui Bruxellis, Viennæ, & alibi in Imperio hæc negotia egerunt, qui cum extrema Regis sui, vetustissimæ potentissimæque coronæ, & nationis universæ Anglicanæ injuria, contemtu, & contumelia, naribus, quod ajunt, circumraptati & indignis modis delusi sunt, ad animum revocabunt & honorem suum defendent.

N° V.

Pars Epistolæ Doctoris Hoe 17. Nov. 1622 Dresdæ scriptæ ex Germanica Latina.

QUantas animorum alienationes nupera in Bohemia Reformatio ubique causata sit, exprimere verbis nequeo. Quæcumque toto

hacte-

hactenus tempore, cum his in terris tum alijs Imperij locis magno labore pro virili ædificavi, ut nostræ scilicet religionis socij de Cæsarea Majestate bona omnia sperarent &c. nunc una eademque vice destructa præcipitato lapsu corruerunt. Oh quanto talia tempora & nova experiri dolori fuit! Certe, quum hæc referrentur, centies mortuus fuisse, quam superstes maluissem. Quicumque laudatissimo Cæsari hujus facti autor extitit, juratus Cæsareæ Majestatis hostis fuit, nec Cæsareæ Majestati bene voluit: quod æquè certo declarabit eventus, ac hasce scribendo digitos moveo.

Bona erga Cæsaream Majestatem confidentia non apud centenos tantum, sed milletios homines concidet, amor exstinguetur, ac aliæ calamitates exinde sequentur quamplurimæ. Dominus quæso, sicubi post annorum aliquot spacium talia evenire compererit, mei, qui tunc fortè terra obrutus, ac vermibus esca jacebo, meminerit.

De itinere Ratisbonensi post occlusa templa altum nunc est silentium. Antè præparatoria ad illud fiebant ingentia, quin me ipsum ad ingrediundum iter tantum non singulis horis intentum esse oportebat. Quum vero per cursores adferretur, erepta in Bohemia Euangelicis templa, continuo designatorem hospitiorum, aliosque qui in viam sese jam dederant, revocatos intellexi. Clementissimus Dominus Elector noster ipse tanto cum zelo Euangelicæ se addixit religioni, ut nulla re magis, quam adeo tristi nuncio de tanta fidei domesticorum tribulatione, offendi aut tristitia adfici potuerit. Quot myriades suspitiorum & precum, quas nostræ alioquin Ecclesiæ pro Cæsarea Majestate ad DEUM fudissent, nunc deficiunt, ingenti, ut mihi videtur, laudatissimi Imperatoris damno? Unicuique in suo territorio de Religione pro arbitrio disponere, vigore pacis religiosæ, liberum esse, certo modo concedimus. Sin vero in Provincia quadam utraque inveniatur Religio, utraque etiam, juxta ejusdem pacis tenorem, est toleranda. Verum de his satis. Ipsum mihi cor discerpitur talium repetita memoria. Maximoperè enim vereor, ne DEO TER. OPT. MAX. ni hæc revocentur, magna quædam mali permissio extorqueatur. Quid in toto nunc orbe præstantius facere Cæsar posset quam adhibita clementia veris Euangelicis templa restituere sua? Quam hoc ipso Cæs. Majestas multorum Regum, Electorum, Principum, innumerorumque subditorum & hominum sibi devinceret corda: Verum tempus ostendet, quid nobis sperandum sit.

D. Hoë ad Principem Lichtensteinium Epistola ex Germanica-Latina.

PRinceps & Domine Clementissime, Quæ ad Cl. V. de Evangelicis, quæ Pragæ sunt, Germanicis templis nuper perscripsi, Cl. V. dubio procul constanti adhuc dum hærebunt memoria. Quoniam vero animo meo non excidit, singularis illa Cl. V. ante annos triginta & quod excurrit erga parentes meos defunctos nosq; Hoïcos universos cepta, erga me hucusque continuata gratia, spero Cl. V. proximas meas principalis gratiæ vultu excepisse, nunc quoque in meliorem partem accepturam, quæ in negotio hoc longè mihi commendatissimo ad Cl. V. denuo obediens refero. Ac principio quidem Cl. V. scribere nequeo satis, quantopere Euangelici in Romano Imperio Principes nupera illa Euangelicæ Religionis cassatione, utriusque præsertim noviter exstructi templi Pragensis occlusione, consternati alteratique fuerint, quæ ex variis hactenus litteris cum dolore percepi. Ac quidem pro innata prudentia Cl. V. ipsa videt, laudatissimis Augustanæ Confessionis statibus nullo indignationem istam vitio verti posse, quum non tantum in Bohemia, sed ipsis Imperij Provinciis templa sua, quæ Cæsaris Rudolphi II. p. m. permissu, proprijs maximisque impensis, pro se, pro legatis suis, pro multis è ditionibus suis oriundorum & Pragæ commorantium millibus è fundamento exstruxere, occlusa & fisco vindicata videant. Novit Cl. V. quam fidus quamque sincerus omnino Cæsareæ Majestati amicus Dominus meus clementissimus Elector fuerit, quamque ille ipse vitæ, corporis, Provinciarum, subditorum, pro Cæsare suo periculum subierit, ut regnum vicinum legitimo Domino redderetur. Ipsi hostes agnoscunt, Saxoniæ Electorem Cæsareæ Majestati summam fidem præstitisse. Verum Cl. V. certa sit, laudatissimo Electori majorem adferri tristitiam non potuisse, quam quod experiundum & audiendum ei fuit, in extremum jam odium religionem suam adductam esse, nec eidem locum aut angelum ullum concedi amplius. Serenissimi Electoris laudatissimi Domini fratris Christiani II. p. m. potissimum honori, Cæsarea Majestas exercitum Germanicum & novorum templorum exædificationem, cum aliis in locis tum Pragæ præsertim concessit. Unde non tantum ex quæstura

Electo-

Electorali insignes ad ædificia collationes depromtæ, sed in toto etiam Electoratu pecuniæ collatæ, sed scholis etiam & Ministeriis ij præfecti sunt, qui vel ante in ditione Electoris ministrarunt, vel certè ibi nati & educati fuerant. Jure itaque hic Elector speravit, quæ Prædecessoris & Fratris honori à prioribus Cæsaribus concessa erant, ea & sibi in tranquillo statu integra conservata iri. Ac hoc quidem promittebant Cæsaris Diplomata, sincerationes, aliæque pollicitationes. Serenissimus Archi-Dux Carolus ipse mihi memorabat, in mandatis à Cæsare se habere, ut certum me & securum redderet, immutatæ & antiquioris confessionis Augustanæ socios in omnibus Cæsareæ Majestatis ditionibus nullo pacto aut modo afflictos iri. Serenissimus Coloniensis 25. Martij 1620. Mulhusij me rogavit, ut Electorem meum Cl. assecurarem, ipse fide indubitata crederem, non esse quod nos Lutherani, quique immutatæ Confessioni Augustanæ addicti sumus, à Dominis Catholicis præjudicij, molestiæ, aut afflictionis aliquid metuamus unquam: his annexis formalibus; *Nos enim Catholici vos Augustanæ Confessioni addictos, non aliter, quam carnem & sanguinem proprium habemus & amamus.* Quæ quidem formalia fuisse dicti Electoris, coram tribunali JESU-CHRISTI testari possum. Ac illa quidem ego, ut Elector urgebat, in continenti & extemplo ad Dominũ meum Clementissimum retuli, memoriæque causa quam diligentissimè consignavi. Ut jam similes alias splendidas præcipuorum Principum Catholicorum & aliorum Cæsareorum officiariorum promissiones, tam ore quam scriptis factas, silentio prætercam. Verum, quum nunc promissis prorsus contraria consequantur, multi-juga Cl. V. prudentia intelligit, quantam omnino diffidentiam hinc oriri necesse sit. Si quando Calvinistæ in scriptis & discursibus suis Euangelicis nobis exprobrabãt, experturos nos, quod si Cæs. Majestas rerum potiatur, cum Religione nostra pejus, quam sub suo regimine actum iri, constantissimè nos illud negabamus, & ut subjectos decebat, plus spei in Cæs. Majestate ponebamus. Nunc cum dolore experimur, illos homines hac in parte nimis, quam velimus, vera prædixisse. Ac deterior quidem in Imperio & pace Religionis nostra quam ipsorũ Judæorum est conditio. Illi confixum Jesum Nazarenum horrendum in modum blasphemant, laudatissimam & benedictissimam Deiparam virginem Mariam contumelijs proscindunt. Et Judæi tamen Synagogas suas sub Cæs. Majestatis protectione frequentant. Nos vero Euangelici,

qui

qui tria Ecclesiæ Christianæ symbola principalia confessione nostra amplectimur, de suggestus ubique deturbandi, è templis omnibus ejiciendi sumus. Per DEUM quæso immortalem perpendat ipsa Cl. V. quantus nunc inter Calvinistas plausus excitetur, quod hæc illis fidei alumnis contingant, qui tanto ardore ac zelo Cæsareæ Majestatis autoritatem & reputationem tutati sunt.

Quod si itaque Cl. V. una cum Domino Comite de Martinitz has & similes rationes Cæsareæ Majestati inculcare vellet, spem humillimam conciperem, fore, ut Cæsarea Majestas clementissima resolutione pullulantem hactenus multorum animorum millium tristitiam tolleret, ineffabilemque lætitiam excitaret, Euangelicosque omnes tam arctè sibi devinciret, ut vitam illi & corpora in omni occasione Majestati Cæsareæ devoverent. *Pro magno peccato parum supplicii satis est Patri*, solemne Ethnicis fuit axioma. Quare itaque laudatissimus Imperator gravissimam pœnam tam strictè iis irrogare velit, qui nil commeriti, insontes omnino in omnibus quæ facta sunt, pro Cæsareæ Majestatis incolumitate, precibus & suspiriis DEUM semper venerati sunt? In debita erga Cæs. Maiestati devotione nulli omnino Catholicorum cessero: illud etiam testimonij in scriptis Catholicorum publicis obtineo, plura me incommoda pro Cæsarea Maiestate perpessum subiisse, quam totum clerum Catholicum.

Quod si nunc mihi non ex privata affectione, (Lutheranus quippe sum & Euangelicus, talisque vivere & mori expeto) sed tanquam Cæsareæ Maiestatis subdito hæreditario Austriaco pro juramento & conscientia de Reformatione hac ingenuè pronuntiandum esset, aliud profecto dicere non possem, nec aliud profecto intelligo, nisi illam neque Cæsareæ Maiestati, neque laudatissimæ eius domui, immo nec Religioni Catholicæ esse proficuam: Tempus etiam docebit, me, quantumvis minimum, à scopo non aberrasse. Verum toto animo dolebo, si novæ hinc turbæ tandem aliquando excitentur, aut Cæsarea Maiestas, vel posteri ejus in calamitates maiores inciderint: quod benignus DEUS clementer avertat, ac gratiam largiatur, quo Cæsarea Maiestas animorum in illis Provinciis inclinationem funiculo charitatis & clementiæ ad se pertrahat, firmiter stabiliat, & ad posteros quam diutissime propaget. Cumque Cæs. Majestas clementissime quendam mihi curam injungit, ut siquid esset quod Cæsaream Majestatem monendam esse arbitrarer, liberè monerem,

rem, certus, Cæs. Maiestatem benignissimo vultu ea accepturam: idcirco bona spe fruor, Cæsaream quoq; Majestatem hanc precationem meam humillimam, sollicitudinem etiam & fidelissimam admonitionem gratia sua dignaturam: Cl. insuper V. (quum pacis studiosissimus ejus animus & summa ad moderata consilia inclinatio deprædicetur) pro clementia sua & industria singulari laboraturam, ut Cæsareæ Majestatis ira & adversus Euangelicam nostram Religionem inclementior affectus mitescat, ne Religio Euangelica vetitæ in pace Religiosa doctrinæ Calvinisticæ æquetur, vel ei blasphemia Judaica præferatur.

Hæc à Cl. V. denuo per misericordiam Divini Numinis, per cruenta & sanguine stillantia Jesu-Christi vulnera peto, DEUM immortalem testatus, non ex alio fonte hanc petitionem quam sinceræ intentionis fluere. Verget istud ad immortalem Cl. V. gloriam, Cæsareæ vero Maiestati ad augendam & conservandam erga se animorum affectionem & devotionem, ad avertendas suspiciones varias & sequiores sermones, ad tollendam periculosæ diffidentiæ noxam, ad remorandum Calvinianorum jubila & triumphos, ad promovendam denique Cæs. Maiestatis Regnorum & Provinciarum salutem, prosperitatem & emolumentum conducet. Ipse ego Euangelicos insuper publicè orare & exhortari non desinam, ut ipsi & posteri, pro Cæsarea hac clementia ad postremam usque sanguinis vitalis guttulam fidem vicissim & obedientiam Cæsareæ Maiestati præstent perpetuam. Hisce Cl. V. Protectioni altissimi, me verò illius gratiæ devotè commendo. Datum 17. Nov. Anno 1622.

Principalu Clem. V.

Subjectus

D. MATTHIAS HOE.

L No VI.

N°. VI.

Electoris Saxoniæ ad Electorem Moguntinum & Ludovicum Landtgravium Hassiæ Epistola de dato Nov. 30. 1622.

PRæmissa officiorum nostrorum, ac quæcunque in gratiam vestri & emolumentum possumus, denuntiatione, Reverendissime, Carissime amice ac Pater, Illustrissime quoque Princeps, amicissime carissimeque Cognate, Affinis, Frater & Compater.

Vestræ Dilectiones amicè recordantur, quæ nuperrimè admodum de præsidiis S. R. I. vrbibus impositis, concurrentibusque exorbitantiis, ut illis vigore Aschaffenburgicæ transactionis civitates liberarentur, deinceps non onerarentur, sed sub laudata illa transactione defenderentur, ad illas intercedendo perscripsimus, quæque vicissim nobis respondendo promiserint.

Etsi autem speravimus liberas illas Imperij civitates præsidiis oneratas, nostra intercessione suo cum emolumento fruituras, nec amplius gravatas iri.

Contrarium tamen utique rescivimus, nullam nempe omnino liberationem insequutam fuisse, sed cives potius in dies premi gravius, armis exui, ad sustentationem militum procurandam teneri; quod nonnullis civitatum sine quindecim vel sedecim circiter millium florenorum jactura menstrua facere haut licet.

Quamvis etiam erga officiarios præcipuos transactio Aschaffenburgensis pro sua defensione allegetur, nullam tamen ejus haberi rationem, sed prætendi potius, *compositionem Aschaffenburgensem temporibus eorundemque cursui accommodatam*, nunc verò quum simul cum tempore mutata sit, diversam ejus esse conditionem: toties illam citari, pro Germanorum fieri consuetudine, ut quis possit docere de sua diligentia, inquisitiones etiam in eos, qui explicata nobis necessitate sua & periculis nostram intercessionem petierint, admodum urgeri. tantæ calamitatis nullum finem conspici: neminem, quæ deinceps sequutura, ulla cogitatione adsequi, quum minæ etiam longè vehementissimæ concurrant, deque Euangelicis veteræ Augustanæ Confessionis statibus pessimi, cótumeliosissimi, injuriosissimiq; sermones ubiq; dispergátur.

Cum

Cum itaque ex hisce didicerimus, quò intensius sæpiusque de sacratissima carissimaque pace, eaque stabilienda verba fiunt, eo longius animum & intentionem ab ea recedere: quin potius omnia eo spectare, ut finitimæ ad Rhenum urbes & loca occupata munimentis firmentur, & deinceps ad proprium commodum serviant: simul de Aschaffenburgensi transactione (quam Vestræ dilectiones bono & fideli animo, pacifica intentione, Urbium Imperialium bono & assecurationi perfecerunt, Cæsarea postea Majestas, ac plurimi Electores, Principes & status præcipui ratam firmamque esse jusserunt) varias commentationes & discursus prodire, quodque parum in ea spei ponendum sit, expresse vulgari idcirco pro continuata nostra correspondẽtia & familiaritate mutua, pro nota pacifica & fideli erga communẽ tantis implicitam calamitatibus rem Euangelicam affectione vestra, & in firmissima persuasione illas promissiones suas & transactiones, ut electos & natos Germaniæ Electores & Principes decet, constanter & inviolabiliter servare solere, hæc omnia amicè, fraternè, & filialiter Vestris Dilectionibus exponere non dubitavimus. Atq; illud eo magis, quod nobis ad Cæsaream Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum à Serenissimo Archi-Duce Leopoldo missa relatio videnda obtigerit, ex qua, quid in liberas Imperii civitates accepta Cæsarea resolutione decretum sit, clarissimè apparet. Prorsus ut leves causæ non sint, quò minus Electorum & Principum ad Romanam Cæsaream Majestatem intercessiones implorent, Vestrasque Dilectiones de sarta tecta conservanda Compositione Aschaffenburgensi sollicitent. Amicè, fraternè, & filialiter petentes, ut Vestræ Dilectiones crebriorem admonitionem, hanc nostram sollicitationem, petitionemque in bonam partem accipiant, & pro summo suo loco innataque discretione rem eo omnem dirigant, ut præsidijs oneratæ civitates absque mora, quum summum in ea periculum sit, & ante, quam sub illis considentes pereant, liberentur: Magistratibus libera sua, nec impedita administratio reddatur, damnum ulterius omne, sive spoliatione, sive direptione, sive mulctatione, sive alijs emunctionibus id accersi possit, avertatur: initæ & confirmatæ Aschaffenburgensi transactioni sua dignitas, vires, continua & studiosa observantia conservetur, ac illi denique, qui eam in controversiam vocare & perrumpere audent, merita & condigna pœna adficiantur.

Certas enim esse Dilectiones Vestras volumus, quod si præsidiorum

rum abductio, & moderatio erga status non sequetur, verum cives ereptione armorum, sustentatione militum, aliisque inconsuetis Imperii constitutionibus & factæ transactioni contrarijs oneribus ulterius graventur, pluribus etiam aliis urbibus, uti fama fert, præsidia militaria imponantur, tum pace exoptata omnino deperdita, graviores, quam fuere unquam, turbas & adversitates exorituras esse.

Nos, quantum possumus, ad ejusmodi mala averruncanda, præstamus, nihilq; magis cupimus, quam ut carissimam patriam nostram, adeoq; totum Imperium Romanum in flore potius, quam tantis motibus concussum, adspiciamus. Speramus etiam Dilectiones Vestras similiter nihil officij intermissuras, & nobiscum id acturas, qui diuturnior in Imperio Pax & Tranquillitas conservari, & ad posteritatem nostram transmitti possit: Quibus ad cuncta amicitiæ studia paratissimos nos esse agnoscimus. Datum Schkeuditz 30. Nov. 1622.

JOHANNES-GEORGIUS
Elector Dux Saxoniæ

FINIS.



LVITCONIS THOMSONII
CARLOMONTII

DISSERTATIO

DE

CAVSIS NVPER MOTÆ BOHEMIÆ.

Nunc primùm consensu Autoris, in lucem, publico bono data.



Anno cIɔ Iɔcxxiv.

Author Lectori S.

PRodijt uspiam in publicum, bimestre circiter, Amici, sive imprudentia, sive rem communem juvandi desiderio, Dissertatio ista, mendosissimè excusum privati juris scriptum; & quidem cum Typographi præfatione ista:

DISSERTATIONEM hanc, Lector, scripsit Author in gratiam cuiusdam viri Magnifici; sed non ea fine, ut ederetur unquam. Quia tamen illa, multa continet, quæ ad plenarem rerum Bohemicarum cognitionem faciunt; sine quibus occasio convulsi Romani Imperij totque in ea calamitatum perspici nequeat: Ideo publici iuris faciundam censuimus. Indubius spe ducti, studium hoc nostrum Authori probatum iri: tibi verò Lector iucundum gratumque futurum esse. Vale.

Quoniam verò hoc pacto imposita est mihi, ingens odium, mulrasque inimicitias, capiundi, aut si scriptum negem, in levitatem, viro bono indignam, incurrendi; vel denique, si ror sphalmata dissimulem, deforme ludibrium ferendi, necessitas: Conscius ego mihi integritatis, quodq; nec amore quemquam, & sine odio dixerim, incorruptæ fidei; Palam profiteor, me non nisi veritati litare, ipsumq; Fas adstruere cupidum, & scapham vocasse scapham; & hanc editionem pro mea agnoscere, & ex hac sola, nec alia ulla, à quoquam (si ita res postulet) censeri velle. Vale, & non tam quis, quam quid scribat: imò etiamnum religiosè asseveret, perpende. Ex Musæo nostro 20. Ianuar. stylo Iuliano, Anno Christi ɔIɔ Iɔ c xxiii.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
CAVSIS NVPER
MOTÆ BOHEMIÆ.



UM propemodum universa Europa in studia & partes abit, & alii pro salute populi, quæ olim, (sed olim) suprema lex fuerat, pronunciant; alii unius hominis fortunæ ac libidini suffragantur, Tu, Amicorum dulcissime, dubius, & vicissitudinis rerum humanarum anxius æstimator, cupidè ex me scire desideras: *Quibus adeo urgentibus causis, Proceres Bohemiæ impulsi fuerint, extrema periclitari?* Indubiè hoc animo propositum habens tuo, ne instar plebeculæ, quoquo se fortuna verterit inclinantis, ullos prius damnes, quam Rei ipsius exactam cognitionem habeas.

Quamquam verò non diffiteor, me in Bohemia propemodum ætatem exegisse, & aliquam publicarum rerum notitiam, non contemnendo rerum usu, ibidem mihi comparasse: Minime tamen dissimulaverim, majus mihi in præsens abs te onus imponi, quam cui sustinendo humeri isti sufficiant, cum historia & temporis momenta, & rerum monumenta poscat, quæ deesse mihi nosti: Sed nec tantum; quod ne librare quidem me oporteat, utcunque à memoria, crebro rerum istarum visu auditu ve confirmata, instructum.

Et quamvis miseram Bohemorum conditionem, non lubenter amplius in animum admitto, quo mihi à gemitibus, ac communi cum omnibus pietatis libertatisque amantibus indignatione temperem, & tam corporis totius horrorem, quam interiorum quoque animi sensuum stuporem, (quod necesse est omnino contingere illi, quicunque utramque Regni istius sortem, neutri parti obnoxius, viderat) effugiam. Benevolentia tamen in me tua, omnia mihi imperat, nec quidquam tam arduum est, quod non tui gratia exequi velim cupiamque. Cæterum id unicum te rogo ac obtestor, si quam de causa Bohemorum ex infelici eius successu dubitationis scintillam animo tuo con-

cepisti; ut eam tantisper premas, nec in præjudicii flammam erumpere patiaris; donec puta mente ac defæcato judicio, hanc ad tua postulata Responsionem perlegeris. Quo facto; de universa ista re, quidvis statuendi tibi liberum esto. Proinde jam audi, rem ab ipso, quod ajunt, ovo ordientem; & licet pleraque sine die & Consule, omnia tamen incorrupta fide enarrantem.

Regnum Bohemiæ, Sacri Rom. Imperii membrum nobilissimum, sed ab oneribus, ob præclara Principum gentisque de eodem Imperio merita, exemtum esse; Incolas vero legibus suis vivere, non existimo te dubitare, cum res tam certa sit, quam in meridie lucere solem. Illud enim nec ulli Imperii circulo, (quorum decem sunt,) ascribitur; neque Rex ad Comitia Imperii vocatur; multominus eorum Recessibus tenetur; Et insuper, solenniter è Statibus, etiam de superstitibus prædecessorum filiis, legitur, lectus, iisdem electionem sui acceptam fert, id solenni Rescripto confitetur; peculiari cautione legibus, juribus, immunitatibus, consuetudinibus, ac Religioni cavet; Se hæc omnia sarta-tecta, imminuta-illibataq; servaturum, jurejurando promittit; & tum demum populum in fidem suam recipit. Porro populus, qui tribus Ordinibus, puta Baronum, Equitum, & liberarum civitatum, constat, ad Imperii tribunal non evocatur: citatus impunè non comparet: Famam, vitam, pecuniam suam, per Regem adimi sibi, non aliter quam prævia legitima cognitione patitur: Nec tributis pro libidine Principis atteritur; sed quanta in Comitiis roganti indulserit, prædiis Regiis in justam portionem damnatis, & accepta prius de indemnitate privilegiorum, nec libero subsidio præjudiciose in consequentiam trahendo cautione, pendit: Archivum suum: Cymelia sua: Ærarium suum. Judicia sua, (in quorum forma processuq; nihil Regi iuris, nec ab illis, præterquam Urbium tribunalibus; provocatio:) Bona item allodialia: Ephoros denique suos, (sive supremos regni officiales) & quasi inter se, Regemque, Mediatores ac Arbitros, utrimque sacramento rogatos, habent. Hoc insuper liberrimæ gentis insigni documento: quod *nulli hominum* capitis damnato, Rex, invito Actore, aut cuius interfit, supplicii gratiam facere possit: Et in patriarum legum Codice, *titulus* extet, de iis rebus, quas Regi facere non liceat. Nihilo tamen minus Rex in Republ. supremum constituit caput: summus est belli pacisque Arbiter: summus pupillorum Curator. solus Comitiorum decretor: summus justitiæ executor: summumque

munque oppressorum asylum : Soli Ius cudendæ monetæ competit; Ejus authoritate omnia (exceptis supremorum tribunalium sententiis) geruntur, administrantur, ac singulis ad Iuris, æqui, bonique normam, fax, ut ita dicam, præfertur.

Formam Reipub. dicas exquisitissimam, & tam principibus, (præsertim impotenter ambitiosis) in æquilibrio justi honestique continendis, quàm populo modestiâ & humano obsequio coërcendo, longè convenientissimam! præsertim cùm nemo Regum, etiam ille solertissimus, in gubernanda Repub. facile Ministris careat; & gentis Bohemæ ea sit indoles, ut nec totam servitutem pati possit, nec totam libertatem. Atque hæc in communi.

Incolæ, quum in studio conservandæ Reipub. ac consequenter libertatis, anxiè sint seduli, concordes beati forent, nec facilè unquam in unanimes, injuriosæ purpuræ rigor exerceretur. Sed Religionis opinione distrahuntur maximè, pars ex formula Romana, (*atholicorum* nomen affectantes; pars pietatis cultusque divini, ex Evangelio, non traditionibus humanis, dociles; Evangelici sive *Hussitæ*, ab Hussio, primo suo repurgatæ doctrinæ Ecclesiaste, nuncupati. Hi multi, illi pauci: & ex proceribus, (demtis illis qui in territorio Pilsnensi habitant) vix tot, quot Regni districtus: Vrbibus verò circiter quinquaginta, tertium statuum Ordinem, ut dixi, constituentibus; duabus duntaxat, videlicet *Pilsna* & *Budevvicio*, Romana sacra contumaciter professis. Horum autem tu, minimè paucitatem, sed in paucitate numerum, dignitatis gradum, & juxta, (accedente præsertim socordiâ aut libidine Principis) vim nocendi mireris! Olim lege publica ab omnibus publicis muneribus arcebantur, posteaquam reformatis per discipulos Hussii Bohemorum Ecclesiis, ac in invidiam Papæ, constituta vindicibus armis Religionis Autonomia; omnes divinum illud numen, unicum, solumque, ac interiore mentis affectu venerarentur, nec salutem suam ulli, præter Christum, acceptam ferrent. Sed repullulavit sensim superstitionis Romanæ succisa seges, reductis in fraudem legis publicæ, ac improperium Regiæ fidei, per *Sigismundum*, *Ladislaum*, *VVladislaum*, *Ferdinandumque*, longo ante tempore ejectis Monachis, nec non introductis, per *Maximilianum*, *Rodolphum*, & *Mathiam*, novarum Religionum, puta Iesuitarum, Capucinorum, Mendicantium, Medicantium monstrosis sectis, & aliorum iam humani generis dehonestamentorum, quàm Christianæ libertatis hostium collegiis.

 Suc-

Succrescente Romanensium sobole, vidisses amabilem Ordinũ inter se harmoniã, ac ergà Reges suos miræ ac promptum studiũ, sed paulo post, eadẽ fontis Iesuitarũ adolescente, omnia Mandrabuli more procedere: Illis enim laboriose atque ærumnose in eam curam incumbentibus, quo non solum incautæ, ac blanditiis illectæ juventuti, cum Romanæ Synagogæ præceptis, odium avitæ Religionis, ac Patriarum legum instillarent, sed etiam se in Magistratuum, aut in Repub. potentiorum animos, penitus insinuarent, ac eos quasi organica quidem, sed communis sensus, judicii, sapientiæ, ac boni-publici intellectus, expertia corpora animarent: Sibi ipsis vero occultius omnium, bonæ mentis, indolis, habilitatis, pietatis, ac ergà Romana sacra zeli, censuram vendicarent: Discipulis aut adulatoribus suis, ad honores & quæstus viam complanarent: Mores Romani saporis non habentes, pro infrequentibus militia domum mitterent, adeoque penes alios, nomen ac species dignitatis esset, ipsi vim ac interiorem potentiam obtinerent: Sane incrementa sumsit non contemnenda obsoleta Religio, sed juxta hinc Regiæ Majestatis imminuta est reverentia, quietus Regni status conturbatus, Ordines in semetipsos, Regemque suum, (cujus voluntatis prætextu, omnia inquietorum hominum attentata palliabantur) armati, & licentiæ, ultra quam par fuit, frenum laxatum. Dum enim ordines cernunt, præcipuos quosque honores non conferri nisi iis, qui in Regno precariam quodammodo vitam ducentes, Pontificii essent, aut patriam Religionem ejurassent: Munera verò onerosa ac odiosa, solis Evangelicis, & quidem ambidextris, aut oneri imparibus laicis (ne scilicet hi, illorum luminibus officerent) relinqui: Illos denique socordia Principis, & Ordinum patientia, abuti; Iustitiam Evangelicis venalem exponere, suæ farinæ hominibus facilem eam, aut injuris defectu, sufflaminatam reddere, successores sibi in iisdem muniis, similes sui designare, aut ea Apostasias præmium polliceri: Vrbano Senatui, Tribunorum, opificumque collegiis, peregrinos, conturbatores, infames, quadruplatores, adulteros, & alios societatis civilis vibices, cæterum devotos Papicolas, obtrudere: Mussare primum, & passim in cœtibus aut conviviis, facetè risu mixtis querelis, dolorem publicum testari, animum recondere! Nec me hercle injuria! Nam præterquam quod me puero, (ecce me jam ea ætatula, in aliena Republica curiosum!) perexiguæ Pontificiorum in Republica partes fuere, & si qua, tum maxime, ob *VVilhelmum Rosenbergum,*

gium, ea tempestate è Baronibus potentissimum, eorum habita fuit ratio: certe in Urbibus Pragensibus, ægre XXX. cives numerasses, Pontificiæ idolomaniæ addictos: ac proinde, nullum ibidem in ullo munere constitutum, tantisper, donec è Iesuitico (ut illi loqui amant) seminario, enatis filicibus, domestica seges enecaretur. Proinde non potuere non ingemiscere, nata tuendæ communi saluti pectora, se despicatui haberi, tradique mercenariis ac inquilinis; nihil præter suam cuticulam, & emolumentum Romani Vejovis curaturis. Sed illis vanam privatorum iram, obtentu Majestatis, ridentibus, nec singulos metuentibus; nihilo tamen minus Principi ipsi (vixerat tum temporis Rodolphus II.) diffidentibus, crevit comes superbiæ violentia. Nam ut securius cervicibus publicis inequitarent; cum Ecclesiasticis, nullum ordinem in Repub. constituentibus; sed sub *Fisci Regii* protectione, fruges duntaxat consumentibus, adversus Ordines conspirarunt. Ita demum se extra fortunæ aleam futuros arbitrati, si eos invidia sacri Ordinis premerent.

Archiepiscopo, nullum jus fuit in domestica sacra, explosâ superioribus sæculis Pontificum arrogantiâ, & Bohemorum ingenus, naturali quodam impetu, religiosam severitatis traditionem abhorrentibus. Hic fultus favore aulico, & jam tum invalida *Administratorum* Consistorii Euangelicorum autoritate; pennas nido majores extendere, & arrogata sibi per extortam ab Imperatore Reformatorum proscriptionem, (*Piccardos* per contumeliam vocant, cæterum veterum illorum Taboritarum genuini sunt posteri,) rerum sacrarum universali inspectione, cætus clericorum, etiam ex Urbibus & ditionibus Regiis, ab idololatria Romana alienis cogere; illis *Epitomen* quandam, *ex Tridentinæ Synodi* Canonibus congestam, obtrudere, eosdem in verba sua, (sive ut tum loqui amabant) Synodalia, adigere, adeoque *executionem* Tridentini Concilii meditari, tentare. Hinc primæ Bohemorum lacrimæ, origoque omnium adversus Reges aut ipsorum Ministros motuum! Nam dum Archiepiscopus omnibus diœcesibus obtrudere conatur sacrificulos, non nisi à se, aut suæ farinæ Antistitibus, sacris initiatos, cæteros verò passim, prætextu Piccardicæ hæreseos, exturbat; aut eis status controversiam movet: Templa hinc inde per Vrbes & agros, Euangelicis adimit: Incolas in Fisci ditionibus, ad ejurandam Majorum religionem adigit: Administri vero Regii, omnia ejus attentata rata habent: imo paria faciunt: nec non quibusdam liberis Vrbibus,

Vrbibus, exempli causa, *Brixia, Cadano,* & *Aussitio*, (in quas sensim, Iesuitarum discipulos immiserunt, & mox publicis honoribus ac muniis auctos, in argumentum Regii favoris & gratiæ, clavo admoverunt,) Euangelicos persequendi, eosque non solum *societate civili* ac communi, sed etiam *gentium* ac *naturali jure*, puta matrimonio & sepultura prohibendi, auctores sunt: Pilsnensibus, Budwicensibusque *Privilegium* quoddam, de excludendis penitissime Vrbium istarum pomœrio Euangelicis, à Pontifice impetritum; securo, aut quod multi tunc suspicabantur, inscio talium rerum Rodolpho, obreptitie confirmant: Cives Pragenses promiscue ad supplicationes, sive Processiones suas, edictis severis urgent, Memoriæ *Hussi* ac *Hieronymi Pragensis* à Majoribus institutam, & à posteris religiosissime observatam annuam solennitatem, obliterare student: ideoque sacerdotes ne sacra facere possent, quotannis ad eam diem in cancellariam ludificatorie citant: Ipsi quoque (in quibus *BorZita Smeczansky* palmam tulit; cujus tamen Rusticis, ad Communionem, ut vocant, squalore diutini carceris, inediaque adactis, hostiam occultatam, ventri immergere religionem fuisse, & ab uno eorum, strophiolo involutam, inque constantiæ suæ ac delusi Domini argumentum circumlatam, Civis Pragensis. vir omni exceptione major, se in oppido *Slanâ* vidisse, eamque ut defoderet suasisse, religiose mihi quondam narravit) subditos suos religionis causa, mirum horrendumque in modum, ac tantum non Busiridis bove, excarnificant: Iesuitæ denique, non solum tribunitiis suis concionibus, illos in proposito confirmant; sed transigere cum continuis molestiis semel, imponere irrequietis solicitudinibus finem, approbare Romano Pontifici, nunquam eis imputari potuisse, aut moras extirpandæ, aut causas auctæ hæresis, clam palam perurgent: quinetiam infamibus ludis, aut universatiis, *corporis Christi feriis*, deterrima licentia, ac impune, probra & invidiam, factitatis carminibus picturisque, (quarum unam turpissimam, me admodum adolescentulo, novo pixillo suspensim memini, nempe *Anseres* (hieroglyphice Hussitæ designabantur) ad aram accedentes, & de calice sorbillantes) in Euangelicos jaciunt. Coire ordines, conditionem suam queri, statum Religionis deplorare, animum obstinare, & *gravamina* sua, in singulis propemodum Comitiis proponere, urgere, dumque spe, promissis, blanditiæ, mora, eludi ea, se vero deludi cernunt, subsidia postulata negare, & contra Archiepiscopum, ac indifferenter Pontificios zelotas

tas

tas protestari, & defensionem audere. Donec Rodolphus Imp. cognita postulatorum æquitate, cleri vero, eique addictorum suorum quorundam Ministrorum, religiosa truculentia, Constitutione publica, quam Bohemi *Majestatis literas* nominant, Religioni Evangelicæ, nec non, *Interdicto uti possidetis*, publicæ securitati cavisset; ideoque etiam Ordines ipsos, cum illis qui Romanenses erant, de mutuis offensis *transigere*, jussisset, *Amnystiamque* sanxisset. Hæc omnia, quanquam communi saluti ac publicæ quieti accommodatissima; nec minore cultu, quam cælestia illa Ancilia prosequenda; quum, summis licet connisi viribus Barones, *Lobcowicius*, tum temporis Cancellarius, *Slawata*, & *Smeczanky*, impedire tamen non possent: etiam in Ratificationem consentire, & quamvis ab Imperatore jussi, rata habere, & manuum suarum subscriptione comprobare (conscientiam causati) contumaciter recusarunt. Adeo ut contra omnem Regni & Cancellariæ praxin, in subscribendo Diplomate, Supremus Burgravius, *Adamus Baro de Sternbergk*. Cancellarii vicem obire necesse habuerit. Porro pactum conventum cautumque fuit: si successu temporis, lites aliquæ religionis causa excitarentur, ut illi quorum interesset, compromitterent in *Arbitros*, æquali utrimque delectos; numero utique *Tribus illis*, utpote professi odii atrocitate, ac vindictæ cupiditate nimiopere æstuantibus: nec quietem populo invidere, & præjudicio se deformare cessaturis, munere tanto perpetuùm exclusis.

Nec intra hos terminos stetit Ordinum communis boni solicitudo: Sed palam quoque, durantibus iisdem Comitiis, in vindi, quod vocant, æstuario, sollenniterque, contra eosdem *protestati sunt*: ut si olim contingeret eos, adversus prælibatam, *Constitutionem*, *Transactionem*, & *Amnystiam*, vel minimum moliri, ex lege Majestatis *perduellionatus* tenerentur; allegato in eam rem, nescio quo, legum suarum capitulo. Et fama fuit, ne Imperatori quidem id displicuisse, graviter offenso, quod illi Principis sui intelligentiam rerum divinarum rimari; assensum vero fidemque, exceptionibus frivolis, & conscientiarum suarum obtentu, impeditum ac imminutum ire non dubitaverint. Sed nec illi contra vel mutierunt; intentionem Ordinum super jure scripto consuetudinarioque fundatam, per silentium magis roborantes. Promulgata constitutione publica, & vigore ejus XXIV. (si bene memini) Nomophylacis, ex singulis Ordinibus octonis sumtis; iisque rebus Ecclesiasticis *defensoribus*, & injuria religionis odio affectis, aut oppressis,

procura-

procuratoribus constitutis; Turbatoribus verò ac zelotis, quasi quibusdam Tribunis oppositis; aureum redusse sæculum dixisses: adeo lætis omnibus, ut & ingentem vim pecuniæ Cæsari tunc promissam, promptissime conferrent omnes, & passim nova templa erigerent; parochiana (licet revera totius communitatis essent) paucissimis concivibus, Romana sacra professis, imo uspiam soli sacrifico æditꝎque, vi interdicti, farta-tecta relinquentes. In quibus fuerunt etiam *Canobio gravienses* & *Braunowienses* cives: illi Archiepiscopo, hi Abbati subjecti, & ante-hac quidem, vi, minisque, ad sacra Romana adacti, sed tunc, ubi per constitutionem illam, blandior aura eos afflare cæpit, pænitentes. Et *illi* quidem, prout tum temporis constans ferebat fama; moderni Electoris Saxoniæ, liberali subsidio adjuti.

Quamobrem (maxime dum communem templorum usum permittere recusarent) solitudinem templis suis paratam, & conatus suos irritos redditos dolentes illi, qui jam antea quadrantem Bohemiæ, se ad obedientiam sedis Apostolicæ reduxisse, gloriabantur; eoque nomine à Papa, nescio quas benedictiones, ac indulgentias acceperant; nihil prius, antiquiusque habebant; quam quieta commovere, & composita turbare. præsertim cum à successore Rodolphi *Mathia* prorogatis sibi summis in Repub. dignitatibus; sperarent non difficilem assensum ejus, qui totum se, & Reipub. curam, industriæ Episcopi Viennensis *Closely*, securè commiserat. Sed tentare id per se, periculosum visum. scilicet nondum consolidato eo vulnere, quod à publico sui odio, paulò ante, ut dixi, acceperant. Idcirco ad consuetas & Tragœdiæ congruas artes revolvuntur; Ecclesiasticis iterum in scena, Roscii personam tam modeste agentibus, ut eos, cum quibus tanquam in velabro olearii, jam ante conspiraverant; ludi agonothetas paterentur. Fabula autem hoc modo agi cæpta est: *Archiepiscopus* aut *Braunowiensis Abbas* (certe alteruter; nam nunc non succurrit) sibi suisque futuro usui, petit per libellum supplicem, *declarationem* Constitutionis illius publicæ, in eo puncto: *Utrum illa ad subditos extendi, an vero duntaxat de illis, qui Ordinum censentur nomine intelligi debeat?*

Rescribunt Administri Mathiæ Regis nomine, illos penitissime excludi, cæterum gratiam Imperatoris stricte, de his solum qui Statuum nomine veniant, accipiendam esse. Et hæc illa est *resolutio*, quæ & Mathiæ negotium fecit, & Ministros ejus, in labyrinthum prævaricationum conjecit, & Ordines adversus utrosque armavit. Nam ut nihil dicam

dicam de clandestina, & incompetenti legis publicæ, in fraudem tertii, declaratione, seu verius ei per expressi ac generalissimi textus, in alienum sensum detorsionem, obrogatione, non potuerunt *Defensores* non suspicari, occasionem duntaxat tam enormi processu quæri, seu verius raptari, Constitutionem illam rescindendi; se verò cum ipsis Ordinibus, paucorum zelorantium Ecclesiasticorumque libidini subjiciendi: presertim quum jam tum Pontificii, contemtim de Constitutione illa loquentes, omnino ruptam eam, scissam, ac perforatam esse contenderent.

Sed ut eo, unde digressus sum, revertar: Archiepiscopus accepto ex animi sui suorumque sententia, Rescripto, protinus Grabiensibus *novum opus*, nunciat. Idem facit Abbas. Sed cives ad Defensores confugiunt, consilium protectionemque implorantes. Nec fas fuit illos sub culto linqui, aut per socordiam jus publicum imminuere. Id circo, dum de jure ædificationis, ex *Constitutione* publica, & *Transactione* Ordinum cum Cæsare, usque, qui è Proceribus Pontificii fuerant, inti, satis constaret: jussi sunt à Defensoribus, in ædificando pergere; se interim causam ipsorum, apud Cæsarem Mathiam acturos,

Biennium puto irrito studio impensum fuisse, precibus, obtestationibusque Cæsaris; ne memorati cives ab Ecclesiasticis, in Religionis Evangelicæ libero ac promisso exercitio, quod sine templi Sacerdotibusque nullum esset, turbarentur; donec absoluto opere, dum ædificatores nunciantibus claves resignare, & templis ex *Edicto* Cancellariæ cedere recusarent, primarii quique in custodiam mitterentur: Grabiensium templo *a fundamentis* demolito, Braunowiensium vero obsignato. Potuisset autem hæc controversia, citra iram gratiamque partium, adeoque seditionem & turbas facillimè componi, si Ministri Regii, ac apprimè *tres illi viri*, *formam judicij* tali in casu *Constitutione*, *Transactioneque* publica præscriptam sequi, & affectus suos, publico bono remittere voluissent. Sed dum animo fixum haberent, *confirmationem* memoratarum, *Constitutionis*, *Transactionis*, *Amnystiæque* tam solenni actu non permittere, adeoque illam Ordinum, adversus se *protestationem* factam, eludere: & *Principibus* dederunt *documentum*, arctius cohercendi privatis affectibus obnoxios, ne universum Reipub. corpus, sed partem duntaxat curare volentes Consiliarios: & *populo* ac posteritati *exemplum*, præcavendi, quomodo Hispani stipendiarios, sic Iesuitarum discipulos. Memini me quondam ex primariæ dignatio-

nis

nis viro; nec Consiliorum Cancellariæ penitus ignaro audivisse; obsignatione illa, fuisse id à Ministris Regis spectatum, ut sigilla, si non jussu, saltem connivenția Defensorum rumperentur. Quod si evenisset; satis causæ habiturum tunc fuisse Cæsarem, Defensores Majestatis arcessendi, eoque compendio, dictam Constitutionem, cum ipsa Transactione, rescindendi. Sed quia hi prudentius, quam ab illis speratum fuit, egerunt; nec legitimā causæ cognitionem urgendo, aut oppressorum in integrū restitutionem orando, modestiæ fines migrarunt, posteaquam hæc non successit, alia tentandū fuisse via. Hujusmodi tum temporis, Ordinum libertati, à malevolis ponebantur laquei!

Porro rei in posterum efficacius gerendæ, quæsita est alia *ἀφορμή*, nempè in *separatione* Defensorum, qui concordia inter se, & autoritate foris validi, videbantur subverti non posse. Mox *Comes Turnaus*, Collegarum Alpha, & quoquo inclinasset, cæteris exemplum, non solum per Closelium, & Austriacos quosdam Aulicos, Comiti affinitate junctos, sed etiam Illustres fœminas, quarum ille blandis profusisque colloquiis, impensè capiebatur; *deserere collegas, & muneri invidioso, plenoque periculosa aleæ, renuntiare monetur. Locum instare ingentis apud Cæsarem gratiæ: imo promitti magna præmia, aut si persistat, indicia non obscura, implacabilis indignationis ejus, qui se amplius cum ipso componi non sit passurus, solus sceptripotens, ac cujusvis, cui quidem injuriam fieri contingat, defensionis validus.* Varius sermo, & ad gratiam iramque accommodatus, perculsit quidem Comitem, sed de statu, quod ajunt, non dejecit. Nam is deprecatus invidiem publici, & quidem Cæsaris Rodolphi assensu, humeris suis impositi oneris; mansit constans, ac in proposito ornandæ Spartæ obfirmatus. Quod cernentes illi, quibus tam quies publica, quàm Auctoritas Comitis dolori fuit, infringendam sibi ejus potentiam putarunt. Proindè variis criminationibus eum adoriuntur, *tanquam Defensorio nomine abutens, studia populi in se verteret Et Burgraviatu primaria totius Reipublicæ.* Arcis Carlosteinensis *custodiaque Privilegiorum & cymeliorum Regni, illustrem ac insolentem, occasio duntaxat mearetur, se multitudinis ducem adversus Principem constituendi: Certe consulendum esse securitati Principis praventione, ac depellendum præfectura Arcis, ne hujus fiducia, res movere præsumeret.* Fit, quod livor improbitasque malevolorum, imprudenti Imperatori dictat; & Comes, *Specie* dignioris Muneris, amovetur honorificentissima, quæstuosissimaque Præfectura: Nec mora, eadem uni è tribus illis,

nempe

nempe *BorZita SmeeZansky*, cõfertur. At ille fero criminantium gnarus, & jam manifestè aspectum ejus aspernante Cæsare, tempus sermoni orat, & accepto: *Vixisse se testatur hactenus adversum Cæsarem cum fide, perinde ac erga Deum pietate. Cæterum conspiratione inimicorum, ac invidia publici muneris, à prædecessore Rodolpho, ipsoque Cæsare, sibi cæterisque collegis comprobati opprimi, dum neque meritorum suorum, neque legum patriarum,* quibus, *Ephoris, sive* Supremis Regni Officialibus, *ne dignitate invite (nisi forte maleficÿ convicti) exuantur, cautum; ulla habetur ratio. Se quidem si id jubeatur, cessurum æmulo, cæterum irrogatam sibi hoc pacto contumeliam, ac apud populares criminis alicujus, quod ista infamia necessario sequeretur, excitatam de se suspicionem, pro gloria recipere non posse. Proinde per tot annorum obsequium, certamque in rebus dubÿs fidem suam,* (restiterat is antea acerrimè *Pataviensi* militi, Pragam ex insidiis occupare properanti, hocque pacto Regnum *designato* tum Regi conservaverat) *rogat; sibi viro militari, & in armis à teneris unguiculis, etiam sub auspicio ipsius Cæsaris exercitato, præfecturam legibus ac consuetudine firmatam servari, neque ad jurgia clamosi fori, se juris inscium, ablegari.* Sed surdo narravit fabulam, invalido legum, ad quas provocabat, auxilio; quæ jam vi, ambitu, postremò fundamentum *absolutæ dominationi* jaciendi desiderio, turbabantur. Unde odium Comitis in æmulum, & juxta indignatio in Principem; ac indubiè causa impulsiva ejus, quod præcavere se velle criminatores ejus simulabant: adeo scilicet improvidè illis, *an seduli*) oleum camino affundentibus! Fracta hoc modo Turnæi potentia: dum interea nihilo secius defensores studerent, Gabiensium Braunowiensiumque succurrere conscientiis; nec desinerent fidem clementiamque Cæsaris obtestari: ille accersito in arcem Brandesiensem *Turnæo, cum duobus* aut tribus aliis è Defensorum collegio; per interpretem Cancellarium (contra quem antea Ordines protestatos fuisse dixi) ad postulata eorum respondit: *Ea juri minime congrua, causam vero Grabiensium Braunovviensiumque, plane iniquam esse. proinde desinerent potestatem Ecclesiasticorum in subditos, in controversiam trahere, sibi vero ultersoribus suis contra eosdem exceptionibus, negotium facessere.* Tanta etiam tum, Cancellario, in Defensores animi intemperie agitato; ut quamvis ab Imperatore jussus esset, ejus tamen *resolutionem* Delegatis, quo toti collegio commodiùs insinuaretur, scripto edere præfractè recusaverit. Paulo post Imperator, sive tædio curarum, sive (quod prudentiores suspicabantur) ut eo absente, destinata invidiosæ execu-

 tioni

tioni mandarentur, & juxta nuper designato successori Ferdinando, quem jam Ministrorum plerique, tanquam solem exorientem suspiciebant, proclivior ad opprimendos Evangelicos via præstrueretur: exportatis è Bohemia, anxia prædecessorum cura, ut plurimum in eo Regno quæsitis *thesauris*, ac tantum non spoliata Regia Pragensi, una cum Cancellario Viennam se contulit: commendata Reipub. administratione, *septem vel octo* personis, Pontificiorum acerrimis. De quorum industria antequam dicam, & ea quæ illius Cæsareæ Resolutionis occasione evenerunt, componam, repetendum videtur, quid insuper de *statu Reipub.* actum fuerit: ut non modo ejus, eventusque rerum; sed ratio etiam, causæque *politicæ*, cum *Ecclesiasticis* concurrentes, noscantur.

Quo intentionem suam Imperator Mathias & Administri ejus, citra interpellationem Ordinum, in effectum producerent, visum fuit optimũ ac compendiosissimum factu, eos *ære alieno* premere; *conventibusque publicis*, sive *Comitiis*, annuatim celebrari solitis, quam longissimè arcere: gnari hoc pacto, privilegia propemodum omnia à stirpe recidi, libertatis vero campum, coangustari posse. Hæc quo una opera, eodemque tempore obtinerentur: à convocatis Ordinibus Imperator petiit, *nominum* suorum prædecessorumque *exsolutionem*. Sed quia suspicio erat, non facilè Ordines alienis tabulis obstringi se passuros esse, tantisper tædiosis comperendinationibus, aut rerum leviusculatum, & parum ad Remp. pertinentium tractationibus, examen articuli istius dilatum fuit, donec dilapsis majori ex parte Ordinibus, rei familiari, tempore anni id suadente, operam ruri daturis; pauci residui, nec ad eam rem à cæteris delegati; insigni præjudicio, *quinquennalibus*, nimii census exactionibus, universam Rempub. astrinxerunt, & juxta IV. quosdam Rempub. concernentes, ab aliquot annis, etiam ab incorporatarum provinciarũ Statibus expetitos, & ab ipso Principe, in aditu Regni solenniter stipulatos *articulos*, (in quibus *confœderationem* cum Hungaris Austriacisque fuisse meminit) temere ei remiserunt, id fraude ac blanditiis Administrorum Regiorum, ex communitatis exuviis, per cogiana Principis rem suam augentibus; ac apprime *supremo Burgravio*. uti alias sæpe opima prædia, ita tunc (ni fallor) dominium *Libochovnense*, aut *Krupense*; vel denique hostimentum quoddam simile, pretium perfidiæ recipiente, persitasi. Porrò ubi hoc modo abunde provisum ærario, certum fuit, toto illo quinquennio, nullos

nullos conventus permittere, ſed inde ſtabiliendo Domui Auſtriacæ *Imperio*, operam dare. Poſtquam enim fortuna, non ſolum *Mathiæ* Imperatori, per *impotentiam* ejus, & Auguſtæ nimiam edendæ prolis, (non ſine adminiculo aſcitorum in viſcera medicamentorum, in informem quandam maſſam coaleſcentium) *cupiditatem*, ſed etiam pleriſque aliis, qui ſive adulatione in principem, *Uterum Auguſtæ* commendaverunt Diis, votaque publicè ſuſceperunt, ſive vanitate ſua nondum nato infanti *dona* (ut in aliis, ab *Hetruria cunas*) miſerunt, illuſerat: Hoc ad continua, ac indefeſſa *Archiducis Ferdinandi* poſtulata, (quæ Cloſelius quam diutiſſime potuit remorabatur) agi cæptum; *quo pacto domui Auſtriacæ Regnum Bohemiæ mancipari poſſet* metu ſollicitus Archiduce, Hiſpanoque; ne ſublata improli *Maximil. II.* familia, Ordines tot ſæculis uſurpata *Electione* in invidiem ſui uterentur. Proinde accerſito Pragam Archiduce, parant ei *ſpeciem juris*, quo & Bohemis fucus fieret, & Hiſpanus ad Regni iſtius bolum inſtar corvi, ideo quod ſe Reginæ *Annæ* Hungariæ & Bohemiæ Reginæ, per filii ipſius primogeniti *Maximil. II.* lineam rectam deſcendentem pronepotem jactaret, hians, eluderetur! Adoptatur enim, clam Ordines, ab Imperatore, in ſubſidium familiæ maſculæ, per ſterilitatem ventris exſpirantis, *titulo* quærendi Regni, ab initio per Czechum conditæ gentis, in eum uſque diem, Bohemis ignorato. Sed quia Hiſpanus imaginariam, (ut ita dicam) filialitatem, fraudi ſibi eſſe noluit: tandem poſt longas contentionum reciprocationes, eo per *Tranſactionem* res recidit ut Ferdinandus Regnum, reſtricta ad lineam rectam deſcendentium maſculorum ſucceſſione, *& quidem beneficio Hiſpani*, juri ſuo per Legatum *renunciantis*, obtineret: cæterum ad *compenſationem*, neſcio quam, teneretur. Adeo ſcilicet impotenter tunc, de *viventis ſucceſſione*, contra ſacras humanaſque conſtitutiones, pacta fiebant; & *Leges Regni fundamentales*, infami ambitioſorum auſu, per cuniculos ſubvertebantur! conniventie, imò ſingula approbante Imperatore, ſingulari in poſteritatem *exemplo*, Dominorum in Rempublicam, legibus ſuis viventem, invidiæ, & propagandi in ſuos imperii gratia, jurisjurandi, Religionis neglectus! Cujuſmodi illiberales machinationes, ſummo ſilentio preſſæ, ſine dubio etiamnum Ordines fugerent: niſi propitio numine, per A. E. S. I. à Legati Hiſpanici amanuenſi, ob commercium linguæ familiarem, in argumentum fiduciæ accepta contractuum iſtorum apographa, pariter benevolentiæ conteſtandæ cauſa, P. G. B. legenda exhibita,

bita, ab eodem obiter transcripta, & tandem fatiscente molitionibus istis Repub. Comiti *Schlickio*, nuper Pragæ decollato, primum aperta fuissent. Hoc contractu *clam, incompetenter*, ac *illiberaliter* absoluto; proxima cura fuit, persuadere Ordinibus, *Ferdinandi*, in successionem Mathiæ, *designationem*. scilicet factione, ne tum quidem, præconceptæ animo hæreditariæ successionis, aut privatis in eam rem pactis, transactionibus, cessionibus, renunciationibus, & similibus contractibus, plus firmitatis, quàm *assensui Ordinum* tribuere ausa. Et quia citra Comitia, quæ prohibere destinatum fuit, Helena hæc in scenam produci nequivisset; jussi sunt quidem Ordines, præter morem consuetudinemque, intra pauciores dies convenire, cæterum hac cum interminatione: *ne in Comitiis quicquam in deliberationem veniret, præter futuri Regis successionem*. Quæ insolens, & in recessu, omnium Privilegiorum, legum, libertatisque eversionem continens formula, ita prudentiores quosque perculit, ut licet ob angustiam temporis comparere potuissent, sedulo tamen emanserint; ne dum Reipub. vulneribus, per tot gravamina notoriis, curam adhibere vetarentur, præsentes, insuper libidini Imperantis suffragari cogerentur. Nosse autem debes, diversam esse istic Comitiorum à nostris formam. Ibi enim singuli *locupletes*, uti conveniundi facultatem habent, ita omnes evocantur, cæterum vix decimus quisque venit, nec diutius ibi quam ei collubitum est moratur; nullis interim in rem suam communitariѕve constitutis *delegatis*, aut mandatariis; quin etiam singularum Vrbium suffragiis, singulis nobilium personarum vocibus (satis iniqua comparatione) exæquatis; & distrahendis Ordinibus, quos unanimes Rex sibi esse non optat, subtili ac valido, tam *hoc* quam *illo* compendio. Porro pendente Comitiorum die, Administri Cæsaris Mathiæ, industriam fidemque suam Ferdinando probaturi, (hostimento pro opera stimulante eos congiario, ut paulò post intelliges) *primarios* quosque è nobilitate viros, Pragæ id temporis, munerum negotiorumve causa commorantes, aut rure citationibus evocatos, in Cancellaria prehensant, Ferdinandoque expetibilem in Comitiis operam præbere suadent; sumta in eam rem occasione, è cura *satisfaciendi creditoribus Regiis* ita videlicet una manu, quod ajunt, panem ostentantes, altera lapidem præferentes. Nec defuit perverso instituto tam successus, quam invidia, nonnullis, sive loci personarumque reverentia, licet in causa indigna perstrictis, sive spe prolixæ gratiæ illectis, sive denique metu

odii

odiis imprudentibus, & ex stipulatione, ad suffragii pro nuda Ferdinandi *Receptione* ferendi audaciam, sese obligantibus; Cæteris vero adeo tenaciter Constitutionum Privilegiorumque Cynosuræ inhærentibus: ut se, de re ad universos spectante, quicquam *clam* acturos negarent ideoque etiam continuo monerentur: *quibus salus sua cordi esset, contra tonitrua oppedere cessarent.* Cujusmodi procedendi forma, præsertim posteaquam per questus offensorum emanavit, hoc in cæteris obtentum fuit, à perversis servituris publicæ licitatoribus, ut eo pauciores ex Evangelicis in Comitium venerint: nec Pontificiorum validæ, quippe etiam ex scurris & planis coactæ factioni, quod ante eum diem contigisse nemo mortalium meminerat, aut fieri posse credidisset; resistere minime potuerint. Non tamen ideo virtutis libertatisque avitæ obliti Patriotæ, ut non ea die, & *parrhysia* liberis hominibus digna, & sequenti, Principis *ora* inclaruerint. Nam urgentibus illis unice, strictam privilegiorum omnium singulorumque, ac inprimis *constitutionis illius Rodolphinæ*, citra involucra aut rendiculas verborum, Confirmationem: Electioni liberæ consueta formula *cautionem*, (vulgò literas Reversales dictam) & si quæ alia hinc spectant, à majoribus usu frequentata: Præter impudentem Pontificiorum obtrectationem, dum Rempub. venderent, se una vænire non suspicantium: etiam diras criminationes, in Cancellariam vocati, experiri nec esse habuerunt: Majestatis crimine Comitibus, *Turneo, Schlikioque:* Baronibus, *Folsio*, *Budovicioque*: ac Equiti *Kaplirio* seniori, objecto. Barone vero *Lobkowicio* (etiamnum in carcere vivente) tristi Patrui *Georgy*, olim à Rodolpho in vinculis (quam juste ipso Cancellarius *Apologia* pro Augusto Cæsari exhibitor viderit) decollati exemplo, nimis impudenter perculso! Sed nec Ferdinandus *indignationẽ* dissimulavit, dum quorundam, gratulandi gratia ad se, ex more venientium, argueret erga se diffidentiam, & rogando ejus causam, attonitos teneret animos dubitantium: num quid compatans ad *eam* & comitatem verbis, jugis obsequii testificationem modeste, an suam incolumitatis Reipub. libertatisque curam audacter, reponere magis expediret. præsertim quum jam tum, longe alium trepidi cognoscerent, quam qualem sibi, cum illè singulos *socum* ad meram in vivario *collimantes* fallacibus blanditiis inescaret, imaginabantur. Elusa hoc pacto Evangelicorum solicitudine, ne omnino nihil Reipub. inque ea ipsis Pontificiis gratificaretur, contestatus est jurato, literis etiam sigillo subscriptioneque communitus:

nitis: *se vivo Imp. Mathia, ab Administratione Reipub. abstinere, nec aliter quam Ordinum autoritate, praviaque Delegatorum, ab Ordinibus in eam rem constitutorum, denunciatione, potestatem in se trahere velle*; non sine, legem dante contractui, pacto: *ut si contra fecerit, facta pro infectis censerentur.* Cujusmodi obligatione ab Ordinibus recepta; uti cætera, ita *Coronatio* præcipitata fuit. Jam tum non solum sæcularibus, sed etiam clero, passim Euangelicis illudentibus: *quasi habituri Regem non ex præscripto tædiosarum legum, sed suomet* ingenio *impetraturum.* Accedente, quasi in cumulum cavillorum comminationumque, illa, supremi *Cancellarij uxoris*, fœminæ magni impotentisque animi, asseveratione: *In eo jam summum rei cardinem verti, ut aut Pontificij Euangelicorum, aut hi illorum cervicibus inequitent*

Decreverunt autem Ordines, more antiquitus observato, Regi tum Designato, ex quadrante omnium usurarum annuarum, de pecunia mutua creditoribus solvi consuetarum, non contemnendum *coronarium*, ad summam octuagesies plus minus millium Carolinorum accedens.

Hoc receptum Ferdinandus, incertum, num contemtu in Ordines, an gratitudine in Administros Cæsaris, quorum opera hoc, coronamque acceperat, distribui inter eos curavit: Supremo *Burgravio Sternbergio*, tanquam Fabulæ chorago, primas: *Cancellario* & *Smeczansky* secundas: *Leopoldo Lobcovicio, Klenowicio*, & *Tocznikio* tertias ferentibus: cæterum *Slavata*, præfracte à sacra pecunia manus abstinenti, argentea preciosa suppellectili, eadem pecunia coemta, satisfacto. Adeo non occultis indiciis, ut vulgi sermone jactaretur: *ex lauru Bohemica, soli Regni officialibus mustacea parari.* Tandem re ex animi sententia in Bohemia gesta, Ferdinandus in Stiriam concessit; & sequente anno, motis jam in Bohemia rebus, iisdem artibus in spem Regni *Hungariæ* provectus est, quibus in Bohemia emersit: Parum jam de Republ. sollicito Cæsare, cui consilium erat, certo jam successore, procul à Bohemia degendo, tædium publicarum curarum, amœno Viennensi, aut Ebersdorfiensi secessu, fallere. Per id tempus, multa cælo terraque *prodigia* evenêre, quibus, ut & ambiguis sed tristibus præsagijs; futura instantiaque mala, designabantur, Visæ per cælum concurrere *acies*: rutilantia *arma*. crebræ trabes simili modo quas *Docos* vocant; quales quum Lacedemonii classe victi, Imperium Græciæ amiserunt, emicuisse constat. Insolita *ventorum* rabie prorutis præter casas arboribus,

ribus, vastatæ silvæ: Insessa ab informi *tipularum* examine, Neopragensium Curia: In Palæopragensium verò, ingens *aquila biceps*, Romani Imperii affabrè factum insigne, ruptis clavis trabalibus collapsa; pede ac alia elisis: Nocturni per Urbem Pragam, prætereuntes invadentium *molossorum greges*: & alia, quæ non solum prudentiores, sed vulgus quoque, more humanæ deteriorum formidinis; non tanquam à fortuitis, vel naturalibus causis, in omen imminentium cladium, vertebant.

At Ordines, (ut ad interruptam rerum Ecclesiasticarum seriem, regrediar) certiores ex Turnæo, & Brandisiensis itineris Comitibus facti; de Principis in causa Grabiensium Braunowiensiumque plusquam definitiva *sententia*: è singulis districtibus, sive Præfecturis, quarum XIV. sunt; more lege firmato, (ne quid eos novi, ac in fraudem summæ potestatis fecisse putes) certo numero personas ad se evocant, sententiam Cæsaris eis aperturi, & juxta quid se facere porro oporteret, Consilium rogaturi: solis *Pragensibus* conventu hoc vitato; quos per *præfectos Urbis*, suggestu Vicariorum Regiorum, protelatos fuisse constat. Sed quia cæteri evocatorum, sententiæ Regis & facti præfectorum atrocitate commoti, quam aliquid constituerēt, deliberaturos se prius, cum aliis Religionis consortibus reciperent; nihil tum temporis actum fuit; quippe dilato conventu, in aliud sex vel octo hebdomadarū spatiū, frustra interim, Defensoribus, *Legationis* ad Electores Imperii, quorum interventione Cæsar ad mitiora consilia flecteretur, (exemplo antehac usurpato) expeditionē urgentibus. Quod ubi percrebuit; protinus Vicarij Cæsarem de Consilio Ordinum certiores reddunt, monétque: si Status in ordinem coactos cupiat, continuo in hunc modum (exemplar enim juxta missum) rescriberet: *Dolere sibi contumaciam eorum, qui Defensorio nomine tumentes, Regi ac Domino suo obluctari; & sub specie tuendæ religionis, alienos subditos, in legitimum Magistratum,* (non enim Dominos, cum Ecclesiastici duntaxat fine usufructuarii) *concitare non vereantur. Proinde mandare se illis, ut ubi hanc indubiæ voluntatis suæ testificationem receperint, ocyus citatis significent: Si explicata animi sui in causa Grabiensium Braunovviensiumque sententia, clare edixisse; quid ea iure, in posterum observari deberet: Cæterum cum illi, spreto clementi decreto, conventus agitent; non posse se id aliorsum accipere, quam quod ista coitiones, adversus suam personam instituantur. Quocirca moneri severè, ut jam tandem ab omni conventu abstineant; & quieti, redeuntes in Bohemiam, ulteriorem que animi sui declarationem exspectent.* Vicarii, receptis inventione suis, rati-

 habi-

habitione Cæsareis literis; eas vocatis in Cancellariam Defensoribus prælegi curant; & tandem nomine Imperatoris, *abstinere* ab omni cum Ordinibus congressu, imperant, & *conventicula legibus prohibita* agitare vetant. Sed nihil unquam æquè offensis auribus, à Defensoribus acceptum, quam ista *Denunciatio*; qua non solum conventus, constitutione publica permissi, vetabantur, probrosoque *illicitorum collegiorum* nomine traducebantur; sed etiam ipsi *corruptorum servorum*, imò quod magis est, *imminutæ Majestatis* Rei pronunciabantur; adeoque ex legibus patriis, paratam condemnationem, (cujus, insinuatæ jam sibi, executionem tempus duntaxat moraretur) haberent. Deprecati tamen publici muneris invidiam, responderunt: *non amplius per se stare, quominus Ordinum deputati conveniant, quum eorum arbitratu conventus dies dicta sit; et fine: ut dum per procuratores suos*, (Defensores puta) *nihil æqui hactenus impetrare potuerint, ipsimet ad clementiam Cæsaris*, per intercessionem *Imperij Principum*, *& suas* preces *confugerent*. Idcirco jussi sunt Deputatos per literas à conventu *dehortari*, ac serio monere, ne quidquam illi in diversum, sine expresso Principis mandato, auderent. Verum hi, istiusmodi terriculamentis, jus suum Ordinumque eripi sibi, Constitutionem verò publicam tam enormi processu rescindi non passuri, perscripserunt in singulos districtus ea, quæ à Vicariis acceperunt, utique libera Deputatis, stato die conveniundi, relicta facultate. Vnde factum est, ut jam non certo numero *Deputati*, sed ipsi *Ordines*, quietis sedibus per istam Vicariorum intemperiem exciti, constituta die concurrerint. Quorum congregationem impeditum, aut certè per factiones & Ordinum separationem divulsum illi; autores fuere Cæsari scribendi ad *Pragenses*, & blande gratias agendi, pro fide erga se declarata, ubi nullum è suis concivibus, proximè habito in *Collegio Carolino* conventui, interesse permiserunt; missa simul in eam rem literarum formula.

Paret Imperator, & provolutus ad deformes grates, brevi post cognoscit, quam fluxa, quamque lubrica sit Principis autoritas, non suo judicio, (ne dicam virtute) aut amore populi nixa! Gliscente jam palam, hinc Vicariorum importunitate; inde sive Defensorum, sive Ordinum perseverantia; redduntur singulis Vrbibus *Eucharisticæ* illæ *literæ*, non tam ullius Cæsareæ gratiæ testes, quàm instar pomi Eridis, in nervum erupturarum discordiarum semina. Illarum enim obtentu hoc agebatur, ut civitates Pragenses, per contemtum Defensorum, collegioque

gioque palam irrogatam contumeliam, renunciarent Constitutionis publicæ, non minus pro se, totoque tertio civium, quam Baronum, Equitumque ordine, introducto beneficio; ejurarentque commune sibi cum Statibus Evangelicis, solenne illud *jus Patronatus*. Quod ut occultius optabiliusque fieret, subministrata fuit Palæopragensium Senatui, per Secretarium *Michnam*, copia *Renunciationis*, specie formulæ Responsoriæ ad Cæsareas illas literas epistolæ: Eadem verò Neo-Micropragensibusque *per Præfectos*, tam strennè frigidam suffundentes; ut negarent, vel latum unguem, ab ejus sive verborum contextu, sive sententiarum periodis recedendum, multominus mentionem ullam Constitutionis Publicæ faciendam; acerbè iis, quid suffragiis suis sive suadere, sive probare ausi, increpitis. Mox item ad *exauctorationem Defensorum*, è civibus Pragensibus, in publicis Comitiis, à toto Ordine (non verò ipsis Urbibus) electorum, adeò, præter incompetenter exercitam jurisdictionem, impotente robitam: ut illis, legum, jurisjurandique totius Regni communitati præstitæ religionis tenacibus, nec publico munere clam Ordines, extraque Comitia privatim abire volentibus, Cæsarei *interdicti* rigore, omni collegarum societate abstinendi, non sine gravissima indignationis Cæsareæ denunciatione, necessitas imponeretur: & quidem tam effusa *Neopragensium præfecti* licentia, ut & audentiores conticere juberet, & accepta à graphiario, exceptionum necessitatis usu, concussionique oppositarum, ex protocollo apographa, pro lubitu suo induceret, immutaret; sicque interpolata, securus falsi, Michnæ ad Cæsarem mittenda, tradere non verecundaretur. His ita à parte Cæsaris in Urbibus Pragensibus per Ministros peractis, ac consequenter cæteris Urbibus perculsis; Ordines frequentes, ut dixi, conveniunt: & cognita, non solùm Defensorum quorundam, frivola sed probrosa *exauctoratione*, verùm etiam Senatus trium Urbis Pragensis, suæ se Religionis cura *abdicatione*; ne acta per silentium probare viderentur; *literas* ex more, antehac à Defensoribus usurpato, in Senatum, per Nobiles quosdam, non solis Senatoribus; sed Decurionibus quoque, ac tribunis plebis, adeoque universæ civium communitati, Evangelicam Religionem profitentibus inscriptas, mittunt, illorumque Deputatos, ni proditam ex parte sui religionem velint, adjungi sibi postulant. Sed ob machinationes Pontificiorum, convocationem quorum interfuit prohibentium; ad extremum verò cœtu eorum se excludi recusantium; ideoque nimis

 impor-

importune, postulata Ordinum interpretando, aut sceptice cavillando, falcem in alienam messem immitentium; nihil obtineri potuit, tantisper: donec orto jam tumultu, cives Evangelici, spreta Prætorum, cæterorumque Pontificiorum Senatorum obluctatione, magis ipsorum, quam suæ saluti consultum, & jam jam in seditionem erupturum populum cohibituri, coque Pontificiorum exterminationem, vel saltem cœnobiorum vastationem prohibituri; missis ad Ordines primariæ auctoritatis viris, se Religionem Constitutionemque publicam illibatam velle, professi fuissent. Sed Ordines, non expectata civium Pragensium, sive resipiscentia, sive impetu ac bona æmulatione, postquam multum diuque, expediendæ Defensorum suæque saluti, nec non conservandæ Autonomiæ, adversus prædictas Ministrorum Regiorum molitiones, consilium habuissent; ad extremum viam inierunt, quam & *necessariam*, & compendiosissimam, & juri suo, tanquam *legibus* patriis conformi, & ex *Protestatione* illa repetito, convenientissimam, ipsa eis ratio dictaverat: Rogarunt enim Vicarios: *numquid interdictorum Cæsareo nomine Defensoribus insinuatorum; & tam expediti, una scilicet ruina, universos Ordines subvertendi, Consilij, auctores essent?* Illis autem omnibus, (excepto *Slawata & Smeczansky*,) post longas tergiversationes, culpæ affinitatem à se removentibus, *His* vero tam ad interrogata Ordinum, quam Asseverationem istam collegarum, obmutescentibus; per quendam celebratæ eloquentiæ *virum*; vim jusjurandi, non minus toti Ordinum ac Reipub. communitati, quam Regi præstiti, explicari eis, & juxta, consilia ipsorum ad eam, legesque patrias, examinari ac expendi curarunt. Et exprobrata eis perjurii, ac in Ordines Cōspirationis, notoria improbitate, *Protestationem* illam, ante octennium solenniter in Acta relatam, per Baronem *Rziczanum* publicarunt, inde, in hunc pene modum publice arguentes: *Cum notorium sit, Barones Slawatam & Smeczansky, posthabita omni salutis publicæ cura, hoc pravis suis consilijs egisse unice, ut oppressis jam Grabiensibus Braunowiensibusque, perculsis Defensoribus, prohibitis de re Ecclesiastica consultationibus, vetitisque legitimis Ordinum conventibus, non solum Constitutionem Transactionemque publicam, adeoque in cæteris istas potiores ac fundamentales Regni leges, subverterent: sed etiam diffamando ipsos Status ac Ordines, quasi aliorum subditores corruptores existerent, & adversus Regem Dominumq; suum, conventus ac illicita collegia agitarent, inaudita hactenus scelera eis imputare, ac consequenter, ex priore calumniæ capite, prævaricatoriæ capitis eos*

arcessere;

arcessere, expostериore vero Majestatis, nimis impotenter ac insidiosè postulare non dubitaverint: Se vigore protestationis suæ, legumque patriarum, turbatores Pacis publicæ, omnium manus armantium, subnixos, cæterum extrema necessitate compulsos, ad succurrendam proditionibus ipsorum labefactatæ Reipub. adigi. Proinde suam sibimet acceptam ferrent perniciem, in quam tam luculenta perfidia, incurrissent. Stare enim Ordinibus sententiam, ista die, certum edendi in posteritatem, & summa multorum annorum patientiæ documentum, & memorabile expressi Zeli impetusque antiqui argumentum. Postquam perorasset Rziczanius, continuo, (secretis tamen prius imprudentiam agnoscentibus, aut eam deprecantibus,) duos illos pertinaces *in preceps jaciunt*, paulo post, quasi in cumulum adjicientes, Secretarium, *Philippum* nomine, è Schola Iesuitarum, ad id honoris progressum: qui Ardelio, intempestiva Ordinum interpellatione, infortunium famamque sibi comparavit, ac indubiè pro *Michna*, (quem pridie ejus diei, mali aliquid inde, quod blandius solito, salutanti sibi in occursu Baronem *Felsium*, insolitæ ac intempestivæ blanditiæ ab ipso exprobrarentur, sagacius subodoratum, ideoque ab Urbe profugum, Comes Turnæus nequicquam insequi curaverat) vicem istam obiit.

Ad modestius agere eos, mitiusque vicario, Regios tractare debuisse dices Sed quid aliud amabo facere eos oportuisset? *Provocassent ad Cæsarem.* Atqui ille ad clamorem subditorum obsurduerat, uti judicio imbellis, ita extra vim potentiæ constitutus: dum Closelius, cæterique ministri, pertracta ad se rerum summa, socordia ejus in Ordinum, ac si scena verteretur, in sui, ipsiusque perniciem abuterentur.

Siluissent ergo. At periculum suberat, prodendæ Religionis, constitutionisque publicæ, tantis sive majorum, sive suis impendiis partæ! Metus etiam ratihabitionis eorum, quæ sub obtentu Majestatis, adversus leges libertatemque Ordinum tentabantur; nullo interim alio silendi compendio, quam ut graviora imponerentur, ex facili tolerantibus.

Sustinuissent itaque. & libidinem sævitiemque Imperantis (si tamen illius, & non ministrorum!) *ultro protensis cervicibus, subjectionis, ac obsequii memores, excepissent.* At illi semper in promptu habentes, quantum natura hominis pecudibus, reliquisque bestiis antecedat; homines se, non porcos esse, homines inquam *ingenuos*, & qui libertatis statum, fortunasque suas non Principi, (quem publici boni causa supra se quidem, at non supra leges extulerant) sed Majorum virtuti accepta feren-

ferentes, eadem sarta tecta ad posteros transmittere tenerentur, oblivisci non potuerunt: ideoque aversi à regimine eo, quod bestiis convenit, duro & despotico; nihil se, majoribusque indigni, aut præter jus legesque facturos arbitrati sunt, etiamsi licentiam supra fas & legum Imperium se efferentem, coërcitum irent.

Iudicio denique experiri fuissent. At ubi quæso? coram quo tribunali? quibus judicibus? qua satisdatione judicio sisti, & judicatum solvi? præsertim in intentato flori Nobilitatis, *Majestatis crimine;* violento, notoque, subvertendis excitatoribus ingeniis, invento: neque unquam satis securo adversus Principem vadimonio. Nec arbitror ego, suasurum te fuisse Ordinibus, ipsos *Ministros Regios*, calumniatores hostesque suos, judices paterentur, etsi promtos cupidosque: non dissimulante id Supremo *Burgravio Sternbergio*, qui in nuptiis Capitanei Schlissi, sacra consilii evulgaverat dicens: *Nos, Nos* inquam, *Supremi Regni Officiales, vestri hac in causa, futuri sumus judices.* Cujusmodi processu, etiam ipsum Deum Diabolo succubiturum, cælumque perditurum fuisse, Bohemos populari joco dicere memini.

Porro quid circa custodiam reorum, & judicij instituendi compendium, Bohemis communiter à Pragmaticis Germaniæ, ex formulis suis jura Regni statuumque fingentibus, opponatur, non sum nescius. Sed si quid in rebus Bohemicis video, nec cæcior sum talpa, confirmare tibi audeo, nodum ipsos in scirpo quærere. Nosti enim uti diversam esse indolem causæ publicæ à privata, ita longè aliam requirere procedendi formam: neque enim illa, sicuti hæc, forensibus terminis, sed potius ex penetralibus Reipub. desumtis rationibus, internaque ejus forma circumscribitur. Porro Status Regni Bohemiæ, quibus jura Majestatis competunt, nequaquam dixeris privatorum loco censeri posse; ut injurias suas, in eversionem Reipub. redundaturas, maxime vero, *manifestas notoriasque*, forensibus litibus ulcisci necesse habeant. Hos qui lædit, non minus perduellis est, quam qui Reipub. arma infert, aut Regi necem intentat. Non dubito autem te mihi hoc concessurum esse, tum maxime Status lædi; cum leges Regni fundamentales; cum mores Patrii; cum consuetudines longo usu firmatæ, cum statuta, cum jura ac leges ipsorum violantur, cum denique Auctoritas eorum, quam in Repub. inque cura ejus habent, elevatur; nec in tali casu eos, præsertim ubi & notorium facinus, adeoque nec ipsis perduellibus negatum, & ruina in proximo sit, usui privatorum inservientibus

vientibus

vientibus forensibus formulis, (nisi fortè certa ratione insanire velint) insistere debere. Nam quemadmodum, vi majori, extraordinariis remedius succurritur: ita etiam Statuum periculo, quod secum Reipub. eversionem, vel saltem Formæ alterationem trahit; sublimioribus, celerioribusque subsidiis occurrendum est; maxime si; præterquam quod quisque naturali impetu ad conservationem status sui fertur, etiam ad hoc faciundum, legibus patriis teneatur: prout Bohemos teneri certum est. Qui quadam *Constitutione* (quam piacularibus illis hominibus prælectam fuisse constat) adversus eum, qui statū Regni mutare, aut quietem publicam turbare præsumserit; omnes insurgere jubentur. Vicarios autem id ipsum, quod taliter cohiberi oportuit designasse, ex superioribus, quæ ex sini prolixè scripsi, percepisse te puto. Nam sublata *Autonomia*; & qua Religioni cavebatur *Constitutione*, reverà statum formamque Reipub. inverti, necesse fuisset: Et si, temerè Ordinibus objecti, literis illis Regiis, *alienorum subditorum corrupcionis*, *Majestatisque* per conventus agitatos *imminuta*, criminis pænam *ex lege* denunciatam, sed in adventum Cæsaris duntaxat dilatam, innocentes obire debuissent; quis non videt, eos stulta modestia, nec in ullum ævum aut posteritatem excusanda socordia, Rempub. amissuros fuisse? Quod si vel maximè Status, in re manifesta nec controversa, *juridicè Vicarios perduellionatus postulare debuissent* nondum tamen; quod jam antea dixi, video; quinam legitimi judices tantæ causæ constitui potuissent; Cæsare Vicariis, Vicariis Cæsari, reliqua verò Pontificiorum cohorte, utrisque, odio Religionis, obnoxiis. Nisi fortè *processus ille Ferd. II.* olim adversus præcipuos Ordinum, *ob fidem ex antiquo fœdere* Saxoni obstinatè servatam institutus; aut *Rodolphi II.* adversus *Georgium Lobkovvicium*, ob solicitam Privilegiorum curam observatus, quorum illo, cives Pragenses; hoc, ipse Baro, dum causæ bonitati confisi, vadimonium obire promti essent, variis artibus protela[illegible], ac deserta sui defensione, promiscuè, *gratia* aut *odio* Principis se sub mittere persuasi fuerunt; repetendus fuisse[illegible] sufficiente scilicet illis, quos libertate, aut vita privandos censeat Princeps, sola obsequii gloria.

Nec palpus ille multos demulcens, tibi imponat, quasi *salva Repub. fubverti Evangelici potuissent*, *legibus nihilominus imminutis*, *& earum usu*, *per non interruptam immunitatum possessionem*. *Pontificiis permisso*. Rudes, ac versatum per Tyrannos Rerumpub. ignaros esse oporter, qui id credant, quales *Officiales* illos Regni Bohemiæ fuisse, palam est. Illi

d enim

enim nunc, non minus ipsi Ferdinando, quos ab Aula segregatos, ne redire quidem in patriam permittit, odio sunt; quàm sibi, per recordationem prioris fortunæ, miseri vivunt! Quippe grata esse solet proditio, at minimè proditor. Et si vel maximè hæc causa esset, nosti tamen, nequaquam solere oblatam occasionem negligere eum, cui omne id deesse creditur, quod certa lege, aut cum modo habet. Vide banc Belgii nostri Rempub. & in ea, quos vocant *Malcontentos*. Numquid illi congiaria tulerunt, ubi *Geusiis* fauces elidebantur? Numquid professione Religionis, sibi cum Rege communis, jugum subterfugerunt? Certè Solonis illius Hispanici, *Vergas* dicti, Enthymema: (*Hæretici fraxerunt templa, & Catholici nihil faxerunt contra: Ergo utrique debent patibulari*) ita comparatum est, ut & in longum *fortiter* extendi possit, & in cujusvis Reipub. *formam* transfusum, bene concludat: præsertim, cum citius deficiat philomelæ cantio, quam bonis *Logicis*, quales hoc sæculo è Monarchiæ Hispanicæ Schola jugiter proveniunt, *tertius terminus*.

Sed joco amoto, videre te jam puto, quicquid obmoneas, consistere non posse, neque tam validum firmumque futurum fuisse, ut aut intentionem Ordinum periclitantium retardare, aut securitati ipsorũ idoneè cavere potuisset: præsertim cùm in ejusce præjudiciosis causis, nimis vera sit illa Plauti sententia: *Qui cavet ne decipiatur, vix cavet cum etiam cavet. Etiam cum cavisse ratus, sæpe is cautor captus est.* Quod sanè Bohemis, *Constitutionibus* illi, *Transactioni, Amnestiæ*, & *legibus patriis* confisis, accidisse, (ne aliunde exempla petã) teste ipso Orbe affirmare ausim.

Atque hæc sunto, unde colligas causas, partim præcipitatorum, partim ab officii publici munere suspensorum, *Vicariorum* quidem Regiorum; cæterum *concivium*, eidem juri, quo cæteri subjectorum, nec minus Reipub. ac Statibus, quàm Principi, Sacramento obstrictorum, Officia'lium.

Sed Bohemi inquis, *ulterius progressi, formam quoque administrationis Reipub. immutarunt, Arma sumserunt, & tandem quoque à morte Matthiæ, Ferdinandum Designatum coronatumque Regem, imperio excluserunt.* Ita certe est, eaque singula extremorum consiliorum indubitata signa!

Sed si animo revolvas antecedentia, ultro fatearis: rebus desperatis, oportuisse Bohemos insistere constantiæ, & perurgentibus illis, rapere, non quærere consilia.

Verum

Verum quod attinet *constituta tunc Reipub. formam*, res ita habet: Postquam nefano improborum concivium ausu, Respublica in maxima pericula devenisset, iique se fœda ac crudelia facinora, in Ordines Patriamque parasse, partim indicio suo convicti, partim confessi fuissent; Ordines sumpto de nocentioribus, tanquam manifestis reis, more majorum, supplicio; (si tamen supplicium dicendum est, eorum in proximam eamque *declivem fossam* præcipitatio) censuerunt, nequaquam è re fore, si residui ad clavum Reipub. diutius sedere permitterentur, cujus administratione, indignos se, per ratihabitionem tantorum facinorum, comprobaverant. Ideo præcavendæ rerum omnium confusionis, sistendorumq; ulteriorum motuum causa, commendarunt Rempub. (si benè memini) *XXX Viris*, è singulis Ordinibus decem per suffragia lectis, tantisper scilicet, donec Reipub. quæ tum, per socordiam Principis, in paucorum potentiam atque ditionem concesserat, aliter prospiceretur. Nec obliti suæ erga Principem reverentiæ, eos tam pro *illo*, quam *hac*, sacramento adegerunt, non sine hac expressa mandati clausula: ut omnia consilia sua ad utriusque salutem dirigerent. Quo pacto, nihil aliud agere visi sunt, quam præcavere deformem *Anarchiam*, aut Pontificiorum expetitam à plebe *internecionem*. longè diversa pietate providentiaque à *Gallica* illa, & *Romano Catholicorum* superioribus annis, in Euangelicos conspiratione, truculentiaque! Denique reddita Principi per literas, prolixe in eam rem scriptas, facti ratione, nequaquam exuerunt ejus erga ipsum reverentiam, sed verius, efflagitato ejus in Regnum *reditu*, & juxta, ingravescentibus malis, petito ex ipsius præsentia remedio, confirmarunt.

At conclamarunt ad arma? Ita sanè, sed non adversus eum, cui etiam legionem illam *Turneanam Kaplirianamque* & bis mille cataphractos, *Webinsky & Bubna*, primitus conscriptos, *nomine suo quam Reipub.* sacramento rogare non dubitarunt. Valido in Principem suum obstinatæ fidei argumento. Verum metus, metus inquam, isque justus, securitati eos suæ suorumque arma induere adegit: gnaros, quam æqua lege Principes agere soleant cum subditis; quos invisos sibi, ac inermes habent.

Comminationes denique ab Aula; nimis impotenter, non solum Cæsareo nomine, sed Consiliariorum quoque, jugiter frigidã suffundentium, pervicacia sparsæ; hoc egerunt. In quibus *Vice-Cancellarij*

Imperii, illius *de Vlm*, vox notabilis audita fuit: qui totus, quod ajunt, in fermento, non sine dejerationibus devotionibusq; asseveraverat: *se in posterum Archiduces diabolarium hominum loco habiturum*, (Hy woude haer voortaen voor Hontsfotten houden) *nisi irrogatum sibi dedecus, ferro ultum iverint*. Imperatore etiam ministrorum palpis adeo obnoxio, ut cuidam delitiarum suarum Arbitro, seu verius scurræ, *Iona* nomine, annueret dicenti: *Bohemorum recens lotas lodices humidas, ne corrumpantur, in aprico suspendi oportere*. Quæ omnia cum in vulgus emanarent, adeoque Bohemos minimè celarentur; non potuerunt non exacerbare jam ante offensos, patientiæque terminos prætergressos: Præsertim cum parum provide Imperator, statim rerum motarum initio, Vicarios suos, tam nefaria crudeliaque attenta confessos, seque Reos professos, in integrum restitui severe mandaret: ni parerent, in contumaces, ferro flammaque sæviturus.

Sanè, si ad postulata Ordinum, tum temporis Cæsar redire in Bohemiam, & turbas istas mitioribus Consilijs sedare, (quo ad extremum Closelius quoque inclinabat) voluisset, seu verius per alios zelotas potuisset; fluctus isti ex animi ejus sententia conquievissent. Nam si Imperator, potiorem curam salutis universæ Reipub. quam *duorum* aut *trium* pravorum Consiliariorum honorem duxisset, quem amabo illi, cum exercitu suo, oppugnatum ivissent? cui nocere, cui obesse potuissent? an non exiguo tempore, omnes eorum bellici apparatus minæ, in ludibrium versæ fuissent? Neque vero tunc aliud quidquam petierunt, quam ut indemnes essent, violatores vero *Constitutionis* illius publicæ, & consequenter *quietis*, *existimationis* denique, ac *salutis* Ordinum Euangelicorum, indemnati non manerent. Sed dum *Ferdinandus*, sulphurei ingenii Princeps, mitiora consilia, non solum Cæsareæ dignitati, sed etiam suæ exspectationi noxia arbitratus, omnia sursum deorsum versaret: & metuens, ne, si mutam personam in scena ista sustineret, autoritatem suam apud vicinos exterosque perderet, aut certe interim aliquid constitueretur, quod seruandum *sibi grave*, aut *Romano Pontifici*, ingratum putaret; ideo spes suas concitato cursu, anteventret; raptoque in vincula *Closelio*, seipsum Cæsarei arcani *consilij Directorem* constitueret; nec quidquam in causa Bohemorum nisi arbitratu suo geri permitteret, Imo profectus ad *Moravos*, eos palam adversus Bohemos instigaret: Tunc demum Ordines, infessis cum exercitu finibus, arma serio expediundi lubido

incessit,

incessit, innocentiæ suæ plus periculi quam honoris fore gnaros, solicitosque; ne dum hinc *Transactio* per Electores obeunda ostentatur, inde Ferdinandi affatim oleum camino affundentis, è bello Veneto superstites *copiæ*, versus Bohemiam ducuntur, inopinati opprimerentur: jam tum *Tamperio* cum Hungaris, è præsidiis limitanearum Arcium, adversus eos, quorum stipendia merebant, eductis, omnia cæde ac flamma complente. Hinc non obscura Ordinum in Ferdinandum indignatio, gliscente odij illius scintilla, quam ex ambitione ejus jam antea conceperant: maximè post interceptas ejus *literas*; quibus instruebat quosdam suarum è Stiria excitarum copiarum centuriones, quid adversus Bohemos tentare illi, & qua in Regnum irrumpere deberent. Ita ut mirum nemini videri oporteat, quare Status, ab obitu Cæsaris Mathiæ, non è vestigio, consueta formula scriptam missamque à Ferdinando Privilegiorum *confirmationem* receperint, nec eum in *possessionem* Regni miserint.

Quam tamen adire non difficulter potuisset, si alienam litem, minimè suam se facere, & à vi abstinere velle contestatus fuisset. Nam quid tum temporis à Procerum Primariis disceptatum in eam rem fuerit, approbe memini. Verum ille dum sive summa imprudentia, sive ab animi intemperie impulsus, potentiam suam non virtute, sed factione firmari credit, nec contra reputat, Auctoritatem ut bonis artibus comparatur, ita malis amitti, Majestatemque fide destitutam levi momento evanescere: *polypragmosine* sua, obstinatoque *vi* perrumpendi consilio, Bohemos ad *desperationem* adegit. Qui altius jam immanem hominis, ex improbo divinitusque damnato *coitu* nati; (*vide Chemnit. in locis, titulo de conjugio fol. mihi 223.*) in Jesuitarum latibulis educati, illis institutionibus, omnibus perfidiæ præceptis imbuti, in hac statim ab obitu Patris, domi forisque exercitati animum, ac nullo obsequio flexilem sævitiam repetentes: ubi ad factiosam ambitionem, conscientiarum triste imperium, sui perpsum in ditionem Hispani per *clandestina illa pacta* tentatam concessionem, comminationes duras, cætera item impotentis animi ante biennium, ut dixi, prodita indicia, & juratæ *Cautionis* per tot recentia facinora violationem ventum: Officii sui esse putarunt, non pati ejus tyrannidem per scelus, ac servitutem suam per socordiam crescere. Quocirca noluerunt ei Imperium concedere, quo indignum se reddiderat, dum nondum rerum potens, perverse consulendo, quo Status oppressiores forent, eo se munitiorem reddere

dere cuperet, nec ulla benignitate ac clementia amabilis, ab omnibus, præterquam pessimis quibusque, formidaretur. Ita ut verissime affirmare debeam, ipsum non à *Turneo*, cum una, nec *Holacho* cum altera legione, sed à sua immanitate, sua perfidia, sua crudelitate, publicis cervicibus depulsum fuisse.

Quod ipsum tam luculentis tamque validis argumentis Ordines, edito scripto Apologetico (*Deductionem* vocant) demonstrarunt; ut qui eo perlecto, abunde, ne dicam satis sibi factum negaverit, eum oporteat esse aut insigniter stupidum, aut parti diversæ præjudiciose obnoxium.

Proinde ego, ne soli mutuare lumen videar, desino, ac ad illud te remitto, utique intelligentem, quid distent æra lupinis. Et (ut jam in genere loquar) utrum tyrannorum coërcitione, bonorum Regum auctoritas imminuatur & Majestas vilescat? prout quidem hoc sæculo primum, imprudenter (an impudenter?) & adulatorie blaterare non verentur.

Cæterum tu jam perceptis iis, quæ sive à *Matthia* Cæsare, sive ejus nomine à *Ministris* gesta, quæ à *Ferdinando* patrata, quæ ab *Ordinibus* perpessa, Motuum & Bohemorum Calamitatis causas, ipsemet in summa capita redigas, & juxta serio expensis illis, ab alterutris improbè factum videri, velis, jubeas.

At ego belli hujus, eventusque ejus occasione, revolutus ad subliniorem rerum humanarum nexus considerationem, sufficientem habiturus sum, porro cum Tacito nostro dubitandi causam: *Fato & forte nascendi ut cætera, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos: An sit aliquid in humanis consiliis, liceatque populo, inter abruptam contumaciam, ac deforme obsequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum.*

F I N I S.